

194/28 -

C 15940



Bibl. Z. - Folio.

~~R VII. 13.~~ E 1185/3

C. IV. 27.

FV

Ca

**TRACTATUS  
THEOLOGICUS  
DE  
CREANTE  
SIVE DE  
ANGELIS,  
ET  
PRIMO HOMINE.**

*Cat. coll. Trenck.*

*S. t. iug. 1730*

*Concordia Földesminicis*

211100000


211100000

211100000

211100000

# TRACTATUS THEOLOGICUS

D E



## CREANTE

SIVE DE



E T

## Primo Homine.

Per theses pariter dispositus & ex-  
positus in eodem Sac. & Exempti Ord.

Cisterc. Monast. B.V.M. de Campo-Liliorum.

*Ab eodem*

A. R. P. CANDIDO BRIGER,

eiusdem Monasterii Priore Actuali.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

VIENNÆ, Typis Joannis Jacobi Kürner, Inferioris Austriae Typographi, 1724.

# APPROBATIO.

**R**Elegi has Theses Theologicas,  
seu Tractatum Theologicum  
de DEO Creante, sive de Angelis,  
& primo homine : Nihil reperi in  
ijsdem fidei, & morum Regulis con-  
trarium, sed pleraque ad mentem  
Angelici Doctoris clarâ, & succinctâ  
Methodo bene exposita : quare  
censeo easdem posse imprimi, si ita  
videbitur Reverendissimo, Perillu-  
stri, ac Magnifico Domino Univer-  
sitatis Rectori, 2. Octobris, 1723.

P. OCTAVIUS BUCELLENI,  
S. J. SS. Theolog. Doctor, & p. t.  
DECANUS.

65-2567



Imprimantur.

Seminar  
für Katholische Theologie  
Freie Universität Berlin


**FRANCISCUS ANTONIUS**  
GUSMANN, SS. Theolog. Doctor,  
Metropol. Eccl. D. Steph. Canonicus,  
Univ. Vienn. p. t. RECTOR.

FACULTAS  
*Reverendissimi Amplissimi*  
DOMINI, DOMINI  
ABBATIS

Sacri Cisterciensis Ordinis Mona-  
sterii B. M. V. ad Sanctam Crucem,  
& Vicarii, ac Visitatoris Generalis &c. &c.

Tractatum Theologicum de DEO Cre-  
ante ab A. R. Doctissimo, & Clarissimo P. CAN-  
DIDO BRIGERO, Celeberrimi Ducalis Mona-  
sterii B.V. M. de Campo-Liliorum Ord. Cist. Pro-  
fesso, ibidemque Priore dignissimo compotitum  
imprimi posse Authoritate Vicariâ Generali facul-  
tatem impertimus. Viennæ secundâ Octobris,  
Anno 1723.

GERARDUS ABBAS  
S. Crucis, & Vicarius Ge-  
neralis. imp.



## Ad Lectorem.



Abes, Lector  
benevole, te-  
nebras rursum  
meas luci ex-  
positas, non ut  
appareant, sed ut latebris  
dignas esse palam omnibus  
fiat, quas latere sanè mecum  
quam apparere maluissem,  
nisi Magistri mei illa ad me  
pri-

pridem vox facta fuisset :  
Omnī obedientiā se subdat Ma-<sup>S.Bene-  
dict.</sup>  
jori , cujus me consiliis & ju-<sup>in Reg.</sup>  
stiūs utique jussis , haud secus <sup>cap. 7.</sup>  
quām Majestatis Divinæ præ-  
ceptis acquiescere vult Mellifluus  
P. Bernardus ; jussus autem <sup>Epist.</sup>  
eram , nec unius tantūm , sed <sup>351.</sup>  
plurium accepi imperia Ma-  
jorum , ut has etsi minūs do-  
ctè elaboratas DE ANGE-  
LIS Theses non doctis qui-  
dem , quod absit , obtrude-  
rem , sed mei tamen similium  
doceri cupientium utilitati  
darem : quid jam ego irre-  
vocabili voluntate sub jugum  
missus

*Serm.  
68. in  
Cant.*

missus obedientiæ aliud potui quām parere? quid aliud debui quām ipse velle tenebras meas aliis apparere? Ecce facti totius causam, quod, ut spero, non præsumptioni deputabis, sed meæ in parendo necessitati; si nihilominus illius me accusare mavis, fidenter cum Doctore meo tibi responso, eò me præsumere, securius, quò non præsumo, quia obedio. Vale.

THE.



## THESIS I.

*Angelos existere fide Divina novimus; ratione verò  
naturali tametsi prudentissimè suadere, evidenter  
tamen nōsse & demonstrare nequimus.*

**P**RÆNOTO Angelos (quod vocabulum non ab eo,  
quod sunt, sed ab eo, quod agunt, spiritibus im-  
positum, Gregorio nomen est officii non naturæ,  
idémque sonat ac missus seu nuncius) Peripateti-  
cis Intelligentias, Stoicis Genios, Platonicis Dæmones  
dictos secundūm naturam spectatos aliud non esse,  
quām substantias spirituales completas, creatas. Di-  
cuntur substantiæ ad distinctionem ab accidentibus;  
spirituales ad distinctionem à rebus materialibus; com-  
plete ad distinctionem ab animabus; create verò ad di-  
stinctionem à DEO, quô immensūm inferiores sunt,  
homine tamen superiores, quamvis infimi Angeli for-  
tè non sint admodūm homine superiores, tum quòd  
in creatis ex D. Dyonisi proloquo supremum infimi at-  
tingat infimum supremi, tum quòd Psalmographus dicat

A

de

I.

Hom. 34.  
in Evang.

de homine loquens : *minuisti eum paulò (non multò) minùs ab Angelis.* Quod ipsum tamen de solo DEO-homine accipit Paulus ad Heb. 2. Possibiles esse substantias hasce completas & spirituales, non est, qui ambigere prudenter queat; si enim immaterialitati optimè convenit cum substantia incompleta seu anima rationali, cur non pariter stabit cum substantia completa nempe Angelica? quin & defactò Angelicos existere spiritus Divinâ affatim edocemur scri-

*Gen. 19. pturâ; sic enim: venerunt duo Angeli Sodomam vespere.*

*c. 22. c. 23. Angelus vetat Abraham extendere manum super*

*Exod. 14. puerum. Jacob luctatur cum Angelo. Angelus præ-*

*Matth. 18. cedit castra Israël. In novo item testamento: Angelî*

*Luc. 1. eorum in calis semper vident faciem Patris. Missus est An-*

*Hab. 1. gelus Gabriel. Omnes sunt administratorii Spiritus. Ex*

quibus manifestum est Angelorum nomine in scripturis non venire secretas cogitationes, quibus quasi nunciis suam nobis DEUS voluntatem intimet, ut malè contendebant Sadducæi Angelorum existentiam negantes, nam *luctari, venire, ministros esse &c.* non cogitationum, sed subsistentium proprium est personarum. Præterea benè loquitur Mellifluus noster,

*Bern. 1. 5. ubi ait: Spiritus esse - - - legendo comperimus, fide tene-*

*de Conf. c. mus. Atque ità satis est supérque asserta Ima. pars*

*4. Thesis; restant proinde solùm probandæ pars 2da &*

*3tia.*

**II.** PROBATOR Itaque pars 2da, efficaciter quidem argumento in objectione contra 3tiam partem producendo. Præterea verò tum à pari de mundo corporeo, prudentissima namque conjectura est, viventia incorporea ad eundem modum, quo corporea cernimus, coordinata inter se esse, nam *invisibilia ipsius*

à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspi-  
 ciuntur; atqui viventia corporea eum inter se ordi-  
 nem tenent, ut inter supremum, quod est homo, &  
 inter infimum, quod est planta, detur medium, nem-  
 pe vivens sensitivum: ergò prudentissimè arbitramur  
 inter vivens incorporeum supremum, quod est Deus,  
 & infimum, quod est anima rationalis, dari medium,  
 videlicet Angelum DEO inferiorem, homine superio-  
 rem. Tum à posteriori & experientiâ, quæ desu-  
 mitur ex miris effectibus, quos exerceri videmus à  
 magis & beneficis, ex robore energumenorum, &  
 idiomatum, quibûs loquuntur, diversitate; quæ om-  
 nia non in aliud magis appositè quam in malos dæ-  
 mones refundi possunt. Hæ ipsæ tamen rationes,  
 tametsi potentes sint congruentiæ, adusque tamen  
 evidentiam, quam Angelorum existentia positivè de-  
 monstretur, non ascendunt; non prima, ex natura  
 rei namque omnimoda illa orbem inter visibilem &  
 invisibilem uniformitas non exigitur, eamque defacto  
 pro divino libitu inductam esse, nullum naturæ prin-  
 cipium nobis *hominibus* clare manifestat: *invisibilia*  
*ipsius* intransitivè, seu ipsi intrinseca & necessaria quo-  
 ad *an est* contra Atheos demonstrant Catholici ex vi-  
 sibilibus, non verò invisibilia ipsius ut creatoris pro-  
 mero suo beneplacito contingenter existentia & con-  
 dita ab ipso. Altera ratio pariter non est demonstra-  
 tio; nam miri illi effectus, quando boni sunt, uti &  
 peritia variis linguis loquendi, in DEUM refundi ab-  
 solutè possent; quin & mali in sententia docente ha-  
 bitum erroris vel vitii à DEO posse infundi, quando  
 liberi non sunt, DEUM authorem habere possent,  
 cùm tunc, ut libertate, sic malitiâ carerent; in op-

posita autem mihi veriore sententia omnia illa nuper dicta animabus separatis saltem pluribus idem corpus subintranribus vel specie diversis à nostris v. g. animabus gigantum non prorsus ineptè attribuerentur, plus enim animas separatas posse quām unitas, certum videtur, cùm enim separatæ sint puri spiritus mole corporis non gravati, robur earum qualitate corporis non restringitur, sicut fit, cùm sunt *substantialiter* unitæ & *vitaliter* per corpus operantes. Neque demum alia evidens ratio produci in medium potest, ut patebit ex objectionis solutione, quæ erit ipsissima probatio tertiae partis Theseos, hinc contra eam.

III.

Prov. 16.

**OBIICES** : Finis universi conditi est perfectionum divinarum manifestatio, indeque oriunda gloria DEI extrinseca : ergò ad mundi complementum pertinet substantia intellectiva glorificans DEUM. Patet antec : nam *universa propter semet ipsum operatus est Dominus*, sicut enim omnia ab ipso tanquam primo principio, sic omnia sunt ad ipsum ut ultimum finem, ejusque gloriam extrinsecam. Patet etiam *conseq.*, quia gloria extrinseca, quæ stat in cognitione & laude DEI, obtineri non potest, nisi à creatura intellectuali. *Subsumo* : atqui ad hunc finem non sufficit substantia intellectiva imperfecta, seu anima rationalis : ergò petitur perfecta seu Angelica. *Subs. prob.* ad naturalem universi perfectionem non est satis contineri sub rerum generibus species solum imperfectas sed requiruntur perfectæ : ergò non est satis sub genere intellectivi dari speciem imperfectam, quæ est anima, sed requiritur perfecta, quæ est substantia Angelica. *Antec. prob.* inductione : sic ad perfectionem universi in genere plantarum non est satis dari urticas, sed petun-

petuntur arbores; in genere animalium non sufficit dari vermes & insecta, sed petuntur bruta & animalia perfecta; in genere visivi non est satis dari vespertilionem &c., quia nempe DEUS non est author operis purè imperfecti, sed DEI perfecta sunt opera: Deut. 32.  
 ergò pariter in genere intellectivi &c. Prob. hæc conseq. sub generibus rerum imperfectis non dantur species solùm imperfectæ: ergò nequè sub genere omnium perfectissimo nempe intellectivi datur species solùm imperfecta seu anima rationalis; hanc porrò esse spe- ciem imperfectam constat, tum quia sicut vim mo- vendi corpora habet propè nullam in comparatione virtutis Angelicæ, sic vim intelligendi habet oppidò imperfectam; tum quia ex Philosopho *sicut oculi ve-* 2. Mph. 6. *spertiliorum se habent ad lumen solis, sic intellectus noster ad ea, quæ manifestissima sunt*, hoc est ad intelligibilia. Re- spondeò primò: Quòd DEUS sibi potuerit præfigere finem sua attributa *in actu primo* manifestandi, si nem- pe & quando existet creatura intellectiva: sinè ulla profectò repugnantia poterat DEUS, uti defactò ho- minem, ità quamvis creaturam intellectivam sexto primùm die condidisse, in qua hypothesi, prioribūs quinque diebūs nec cognitus, nec laudatus fuisset. Respondeo tamen secundò ob laudatum scripturæ locum & non ob rationem demonstrativam Conc. pri- mum enthym. nego verò subs. licet enim primarium sibi finem statuerit sui laudem, statuere tamen poterat majorem vel minorem, qualem voluerit, non autem necessariò summam. Ulterior proba aliud non evin- cit, quām quòd sub illis rerum corporearum generi- bus defactò species perfectæ reperiantur, quod nos docet experientia, non verò, quòd necessariò tales

producere debuerint; quia verò simili experientiâ circa intellectiva destituimur, & aliunde ratio evidens necessitatem ad perfectas species intellectivi condendas DEO attribuendi non producitur, ideo propositæ Thesis ultima pars subsistit.

**IV.** **URGEbis** Primò: Universum istud est essentialiter opus DEI; atqui DEI perfecta sunt opera: ergò universum istud est undique perfectum. Sinè Angelis autem tale non esset: ergò. Respondeo *Conc. maj. dist. min.* DEI perfecta sunt opera tum perfectione essentiali, tum exclusione imperfectionis positivæ & dissimilitudinis ad ideam divinam *conc.* sunt perfecta omni perfectione extra essentiali & exclusiva imperfectionis etiam negativæ *nego min. & cons.* Defectus existentiae Angelorum est imperfectio physica pure negativa, quam DEUS potest velle, & ideo universum productum potest hac imperfectione scatere, nam perfectiones, quæ essentiales non sunt, universum habet solum eas, quas id DEUS habere vult, non verò quas habere absolutè potest. Ad hæc denominatio perfecti, quæ affirmativa est, haberi potest, modò non absit omnis perfectio. **URGEbis** Secundò: Causa debet assimilare sibi effectum: ergò causa perfectissima, qualis est DEUS, debet sibi effectum perfectissime assimilare; quod nunquam præsterit, nisi Angelos producendo. Respondeo de causa univoca *conc.* de æquivoca *nego ant. & conseq.* nam causa æquivoca, dum est intellectiva, agit per ideam, & assimilat effectum ad ideam, quæ assimilatio stat in ratione exprimentis hoc, quod ideatum est, non verò in ratione entis & intellectivi, ut patet in Architecto. **Decuit** quidem gradum intellectivi in statu per-

perfecto ponit in universo, sed tamen non debuit ponit,  
& in praesenti rerum peristasi congruentissime, atta-  
men etiam liberrime positus est, quod utrumque, &  
positum nempe esse, & liberè positum esse, sancta nos  
fides docet. URGEBIS Tertiò : Universum debet esse  
tam perfectum, ut aptum sit manifestandi perfectio-  
nes divinas omni manifestatione extensivè possibili  
(non omni intensivè possibili, cum semper alia & alia  
intensior restet possibilis) atqui ad hunc finem aptum  
non est, nisi sit summè & maximè assimilatum in ra-  
tione entis causæ sui : ergò. maj. prob. universum est  
realis perfecta imago DEI : ergò aptum esse debet  
manifestandi &c. Prob. conf. Quia visio clara DEI est  
perfecta imago intentionalis DEI, manifestare debet  
omnia attributa DEI, et si non omni possibili clarita-  
te : ergò universum velut imago realis DEI debet  
manifestare omnem perfectionem DEI, & tanquam  
effectus naturaliter ostendere nobilitatem suæ causæ.  
Respondeo : Totum hoc præstari ab universo, si  
contineat omnia rerum genera, inter quæ est genus  
supremum intellectivi ; haec autem omnia hoc ipso  
continet, quod producatur anima rationalis in ipso.  
Cæterà universum est imago (improprie utique dicta)  
DEI tam perfecta, quam perfectam DEUS vult ; vult  
autem longè inferiorem esse clara DEI visione.

REPLICABIS Primò : Si universum non exigit om-  
nem extensivè perfectionem, tunc erit perfectum, si  
sit tuguriolum habens duos homines, unum cæcum,  
alterum claudum, paucos vermes & nonnullas urti-  
cas. Respondeo : Si genus intellectivi sit omnium  
possibilium supremum, jam eò ipsò, ac detur anima  
rationalis, dabuntur omnia genera in universo ; porrò  
erit

erit universum in illa hypothesi positivè perfectum, quamvis non æquè ac modò sit perfectum, quia habebit plurimas imperfectiones negativas seu defectum existentiæ multarum rerum. REPLICABIS Secundò : DEO ut legislatori nequit placere imperfectio moralis : ergò DEO ut Authori naturæ nequit placere imperfectio physica. Sed placeret, si tale tuguriolum poneret : ergò. Respondeo : Authori naturæ non placere imperfectionem physicam *positivam*, secus *negativam*; alioquin non posset DEUS velle producere nisi optima quæque & in summo perfectionis gradu sibi possibili constituta. REPLICABIS Tertiò : Äquiùs est ponere species perfectas sub genere supremo, quām sub inferioribus; atqui sub inferioribus positæ sunt species perfectæ, ut ostensum suprà : ergò sub genere supremo debet poni species perfecta seu Angelica. Respondeo *diss. maj.* äquiùs, hoc est, congruit, citra ullam tamen necessitatem physicæ connexionis *conc.* äquiùs, hoc est: debet ità esse *nego maj.* & *conc. min.* *nego conf.* REPLICABIS Quartò : Si produceretur corpus humanum sínè capite, non esset perfectum sed vitiosum : ergò pariter, si mundus sínè Angelis produceretur. Respondeo *nego conf.* quia in moderna providentia, ubi DEUS hanc & non aliam symmetriam corporis humani esse voluit, corpori physicè necessarium est caput propter influxum & legitimam sensuum receptionem. REPLICABIS Quintò : Comædus vel Cantor insipienter agerent, si ex intentione gloriæ suæ, aut hic surdis caneret fabulam, aut ille coram cæcis ageret pro theatro : ergò pariter DEUS, si in mundi theatro ex gloriæ suæ intentione fese intellectui pure imperfecto manifestet. Respondeo *trans.*

ant.

*ant.* ( nam si alium sibi finem statuunt v. g. exercitii, vel propriæ complacentiæ, poterunt agere coram cæcis, & loqui coram surdis ) *nego conseq.*, nam Comædus & Cantor nullo modo finem præfixum consequi possunt ; DEUS autem potest gloriam extrinsecam obtinere ab anima rationali, quamvis non summam, attamen talem potest, qualem vult. Unde sicut Co-mædus sapienter aget coram spectatoribus benè qui-dem sed non optimè videntibus, sic DEUS rectè in-tendet manifestare se ipsum intellectui creato licet non summo.

PRO RELIQVIS ESTO *Not. I.* Universum habet vim motivam ad sui comprehensionem, quam in actum secundum reduci *congruens* quidem est, & connaturalius, non tamen *necessarium*. Quid etiam quod non DEUS solus sed & anima separata tum se tum omnia se inferiora comprehendere possit, si ipsi species rerum comprehensivæ aut infundantur, aut ipsa sibi easdem paret. Hinc DEUS solam animam in genere intellec-tivi producens non se sic haberet sicut Pictor, qui cæcis imaginem proponeret, quia cum imago purè proponatur, ut videatur, hic finis à cæcis nullatenus obtineri posset. Ex quo facile diluas sequens argumentum : naturalis mundi perfectio exigit passivis proportionari activa, sic enim potentiae, quam habet materia ad formas, respondet potentia activa potens materiam reducere in actum formæ ; sic passivæ cor-porum sensibilitati respondent potentiae sensitivæ acti-væ : ergo intelligibilitati passivæ universi respondet intellectivitas naturalis activa : non respondet autem satis intellectivitas animæ, utpote speciei in genere intellectivi imperfectæ & haud multò amplioris, quam

VI.

sit potentia visiva noctuæ relatè ad Solem, ut ex Aristotele nuper dictum: ergò dari debet intellectivitas major nempe Angelica. Respondeo enim, quod materiæ & sensibilibus proportionentur activa planè secundum proportionem æqualitatis, experientiâ novimus, quâ caremus circa intellectiva, omnimodam autem proportionem necessariò dari debere ratione naturali non demonstratur. Hinc *dicit. ultimum conf.* ergò dari debet, hoc est congruit dari intellectivitatem Angelicam *conc.* debet, hoc est demonstratur *nego conseq.* Præterea dixi animam separatam proportionari intelligibilitati tum suæ tum rerum se inferiorum. Not: 2dūm: DEUS intendit producere universum cum integritate petita ab universo, secundum quod formaliter universum est; interim tamen non requiritur ad integritatem meta-vel physicam cujuscunque universi, ut reperiantur in eo omnes gradus entis quo ad perfectas eorum species, & quamvis defactò reperiantur, id tamen non demonstratur. Not: 3tium Si ratione naturali etiam demonstraretur à DEO productum fuisse universum non formaliter duntaxat, sed & materialiter optimum ( qualiter defactò productum esse advertit Philosophus, ubi ait: *natura semper facit, quod est optimum* & August. ità loquens: *quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse DEUM tanquam bonorum omnium conditorem* ) si hoc inquam etiam demonstraretur, nondum evidenter concludi posset existere Angelos, quia datâ solâ animâ rationali jam daretur genus *supremum* intellectivi; optimum autem dari præcisè potest in rerum generibus, quorum numerus finitus est, non autem in speciebus & individuis, quorum numerus in infinitum augeri potest, sicque in

2. de Cælo

34. 1. de lib. arb. 5.

in his optimum dari nequit, nisi respectivè ad universum, secundùm quod dicitur : *omnia in mensura & Sap. 11. numero & pondere dispositi*; sicut enim relatè ad corpus humanum melius est habere duos oculos & duos pedes, quam quatuor oculos & nullos pedes; sic relatè ad universum melior est hic numerus specierum, quam alius.

Ex quibus jam omnibus appareat non ratione demonstrari sed legendō comperiri & fide teneri existentiam Angelorum, ut nuper ex mellifluo Doctore scripsi. Quæri nihilominus hic præterea potest : Quando & ubi Angeli sint creati ? Respondeo ad primum. Simul cum mundo visibili in famoso illo opere sex dierum, quando videlicet in principio ( hoc est : *ante omnia*, ut explicat D. August.) creavit DEUS Gen. 1. cælum & terram. RATIO est, tum quia legimus : *sex diebus* <sup>11. de Civ. c. 6.</sup> facit Dominus cælum & terram & mare, & omnia, quæ Exod. 20. in eis sunt ; Si omnia : ergo & Angelos. Tum quia id tradit Concilium Lateran: sic habens : *DEUS simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam scilicet & mundanam*. Post quod conc. scribens Doctor Angelicus fidenter ponit hæc verba : *non est probabile, quod DEUS creaturam Angelicam seorsim ante alias omnes creatureas creaverit*. Quia nihilominus mox subjungit : *quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, testaturque insuper Græcos Patres ut Nazianzenum sentire, quod Angeli paulò ante mundum visibilem conditi sint, idcirco plures censem assertum nostrum non esse de fide, & proinde conc. vel locutum fuisse de simultate morali, quo sensu simul fieri dicimus, quæ non multū distanter fiunt, vel non proposuisse hanc rem ut fidei veritatem, sed*

*Hic q. 61.  
a. 3. corp.*

ut opinionem longè veriorem; si namque de fide foret data à nobis responsio, oppositum non modò erroneum foret sed & hæreticum. Respondeo ad secundum: Angelos in cælo empyreo creatos esse, ut Bern. ser. 2. de Verbis I. in eis beati illius templi plenitudo constaret, quemadmodum loquitur Doctor Mellifluus. Ratio est, tum quia decuit partes nobilissimas universi loco nobilissimo crea-

Epist. Cath. v. 6. ri; tum quia ibi Angeli conditi sunt, unde Apostatae

I/a. 14. Iuc. 13. NB. *domicilium*, ut loquitur Judas Apostolus, exciderunt; sed hi cælo exciderunt, quomodo de cælo cecidisti

Apoc. 12. II. 14. Lucifer? Et: videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem, cælum enim erat locus prælii: prælium magnum factum est in cælo: & postea: neque locus inventus est eorum amplius in cælo. Ergo. Neque OBSTAT Primò:

Quòd Lucifer dicat: *In cælum conscendam* &c. nam loquitur ibi de cælo metaphorico & ascensi secundùm dignitatem seu similitudinem cum Altissimo. Non OBSTAT Secundò: Quòd cælum sit locus præmij, non meriti & viæ. Nam idem materialiter locus poterat de loco certaminis & viæ, quæ Angelis brevissima erat (probabiliter tamen tres illas horas durans, quæ fluixerunt ante primam lucis productionem & à tenebris separationem) formaliter mutari in locum coronæ & Patriæ. Non OBSTAT Tertiò: Quòd inconveniens videatur dicere in cælo commissum esse peccatum.

Nam à viatoribus commissum dicere non inconvenit, quin documento id nobis est nulli fidendum loco, Ser. 27. ad Frat. in Eremo. ecce enim, ait August. in solitudine sumus, in eremo sumus, locus tamen non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit, & nos pariter, si enim habitatorem loca beare possent, nec homo nec Angelus à dignitate corruissent.

## THESES II.

*Angeli non sunt spiritus corpore ætherei, sed sunt substantiae puræ spirituales, corporis omnis penitus expertes.*

**P**RÆNORO : Angelos citra controversiam non esse VIII. simpliciter corporeos ac purè materiales; alioquin intelligere & velle atque spiritualia objecta percipere non possent; si enim *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus*, minùs substantia aut etiam potentia materialis poterit percipere objectum spirituale, quem admodum ostensum est in - de DEO Thesi XVI; certum autem est Angelos intelligere & velle ac objecta spiritualia percipere, unde & *intelligentiae* vocantur, atque in scriptura passim tanquam creaturæ intellectuales spiritualia percipientes, de ijsqué loquentes inducuntur: ergò non sunt simpliciter corporei & purè materiales. An tamen ità incorporei sint, ut in nulla sibi propria operatione à corpore dependeant, neque ullam connexionem aut ordinem ad corpus ut ad subiectum dicant? ante conc. Lateran. ambigua res inter PP. erat, quibûsdam, ut Origene L. 83. qq. Basilio, ipsoqué Augustino, & post hos Ruperto, te- q. 47. & 3. Trin. c. 10. nuissimum illis corpus tribuentibûs; aliis ut S. Ignatius, Chrysostomô, Theodoreto omne ijsdem corpus denegantibus. Hinc Mellifluus noster, tametsi dicat, corpore æthereos, mox tamen subjungit: *quanquam de corporibus horum non modò, unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum.* Unde si quis inter opinabilia magis ponendum censuerit, non contendō; & alibi postquam An-

Serm. 5.  
in Cant.

gelorum corpora præ subtilitate naturæ atque substantia suæ impalpabiliæ esse, & nostris omnino inattingibiliæ visibüs posuisse, non vult à se requiri, utrum nam corpora Angelica spiritibus ipsis naturalia sint, an verò Angeli sint simplici spirituali subsistentiâ subsistentes, & corpora, cùm opus est, solum sumant, rursumquè expleto operere ponant. Demum autem suam super hac re sententiam hærere suspensam sequentibüs verbis profitetur: *videntur PP. de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, & nescire me fateor.* Post conc. Later: communis jam est sententia Catholicorum Angelos absolute incorporeos esse, cum qua

**IX.** PROBATUS Thesis: Angeli passim in scriptura vocantur *Spiritus* sive addito, ut: *qui facit Angelos* suos. **Pf. 103.** **Matth. 10.** **E. 1. & 5.** **G. Hab.** *Spiritus*, apud Matth. Angeli mali dicuntur *Spiritus im- mundi*. In Apoc. appellantur simpliciter *Spiritus*, à Paulo *administratori spiritus*; si autem constarent corporibus non appellarentur tam constanter spiritus, ut patet in homine, qui quamvis animam habeat spiritualem, rarius tamen spiritus simpliciter nominatur. Rursus Paulus Angelos contraponit corpori, ait enim **Eph. 6.** **Later. IV.** **Sub Innoc.** **III.** *non est nobis collectatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitia.* Clarè verò præsentem veritatem proponit conc. Lateran. relatum cap. Firmiter, dum Angelicam creaturam non modò opponit *mundana* seu purè corporali, sed etiam *humana* seu compositæ ex spiritu & corpore, postquam enim definiisset, utramque de nihilo conditam creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & *mundanam*, mox subsequitur dicens: *Et deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam:* ergò Angelicam creaturam censet esse purè spiritualem. Accedunt

cedunt PP. magnô numerô ab hac sententia stantes, nam præter memoratos numero antecedente in ea sunt Greg. Nyss. Eusebius. Cæsar. Hier. Greg. & magis quam in oppositam propendere videtur D. Bern. sic enim habet : *Angelis spiritibus parietes non obstante, Hom. 3.*  
*sed cuncta ipsis visibilia cedunt, cuncta aquæ corpora quantum. sup. missus.*  
*libet solida & spissa penetrabilia sunt eis ac pervia;* atqui si Angeli non essent prorsus incorporei, corpora non essent eis penetrabilia, neque integra legio habitare posset in uno homine, contra quam dicitur in Evangelio : ergò. Aliò item locô idem Mellifluus docet, *Marc. 5.*  
*Angelum nullò corporei sensu aut membra fultum adminicu-* *& Luc. 8.*  
*lò, nullo corpore cujusquam rei informatum intuitu -- sus.* *Sarm. 5. in*  
*ficere apprehendere summa & intima penetrare;* nequiret autem independenter ab omni corpore intelligere, si independens ab omni corpore non esset : ergò. RATIO denique pro thesi esse potest, quia cum Angeli non sint necessariò corporei & quanti ( alioquî enim non forent spirituales & homine perfectiores ) essent non secus ac homo à corpore separabiles : ergò essent mortales sicut homo. Atqui sunt immortales & naturâ suâ incorruptibles, ut mox dicetur : ergò à corpore sunt prorsus independentes.

OBICES : Si authoritatibûs productis thesis sua-deatur, illa erit de fide : atqui de fide non est : ergò. Respondeo : Quamvis nonnullorum opinione præ-sens thesis articulus fidei non sit, eò, quod conc. Later. aliud definire non intenderit, quam DEUM omnium esse rerum principium contra Albigenses, qui Manichæos secuti ponebant, quasdam res non à DEO, sed à principio nequam profluxisse, & ideo L. 5. Biblio-th. san-  
*Sixtus Senensis non obstante Lateran. decretô ma-*  
*vult 6.*

At. 5.

vult adhuc sequi Bernardi modestiam nihil de hac re certò definientis; quamvis hæc, inquam, nonnullorum sit opinio; probabilius tamen alii censent post decretum laudati conc. esse absolutè de fide, quia verba initialia capituli *Firmiter credimus* ad omnia in capitulo contenta referri videntur, nè ansa detur hæreticis dicendi, hoc quidem post definitionem esse de fide, hoc autem non; & quia si aliud non intendisset conc. quām definire omnia à DEO producta fuisse, clarius processisset dicendo, omnes creaturas ab initio temporis à DEO conditas esse. Cæterū si de fide non sit, tam certa tamen defactò est thesis, ut oppositum tueri temeritas foret. *Dices*: in synodo generali septima Joannes Episc. Thessal. in libello coram Patribus synodi lecto Angelos probat esse pingendos, quia sunt corporei; atque approbat id conc. ijs verbis: *etiam Domine*: ergo synodus Oecumenica judicavit Angelos esse corporeos. Respondeo: Conc. approbavit solùm Angelos posse depingi, rationem tamen Joannis non probavit, quia ijs verbis: *etiam Domine*, acclamavit Concilium compendio libelli à Tharasio Patriarcha in hæc verba facto: *ostendit Pater, quod & Angelos pingi oporteat, quando circumscribi possunt, & sicut homines apparuerint*. INSTABIS: Concilium probavit saltem hoc, quod à Tharasio dicebatur, videlicet Angelos circumscribi posse: ergò censuit esse corporeos; præsentia enim circumscripтивa propria est solorum corporum. Respondeo Concilium approbasse Angelos circumscribi posse vel prout apparuerunt in corporibus, ut patet ex ijs verbis: *sicut homines apparuerunt*; vel ly *circumscribi* accipiendo secundum negativum, ita, ut significet Angelos non esse ubi-

ubique & extra talem determinatum locum; non vèò secundùm *positivum*, quasi Angelus in suo loco habeat partem unam extra aliam.

### THESES III.

*Angeli tanta essentiæ simplicitate gaudent, ut non sit possibilis, qui componatur ex forma & materia prima spirituali.*

**P**RÆNOTO, certum esse, quòd Angeli non modò metaphysicè compositi sint ex *genere & differentiæ* utpote limitata & extra conceptum generis posita; sed etiam physicè ex *substantia & accidente*, cùm habeant intellections & volitiones à substantia sua separabiles & distinctas; quin & ex natura & subsistentia seu termino substantiali, cùm subsistentia non minùs in Angelis quàm hominibus à natura sit distingua, quod Apostolus innuit, divinam erga homines præ Angelis beneficentiam in naturæ humanæ præ Angelica assumptione commendans, jisqué verbis ponderans: *nusquam Angelos apprehendit, sed sēmen Abraham apprehendit*, quæ ponderatio energiâ suâ destitue- Heb. 2. retur, si Angelos apprehendere impossibile foret, quemadmodum impossibile fore communiter doceatur, si subsistentia propria à natura non distinguatur. Probabilis Thomistarum Philosophia his aliam præterea, ex essentia & existentia adnumerat compositionem. Tota igitur in præsens lis est de compositione ex materia & forma, atque ex his modernos Angelos incompositos esse, communis est sententia, tum quòd in scriptura nullum hujus compositionis indicium reperiatur, imò potius eorum simplicitas

XI.

C

aper-

apertè designetur, cùm in abstracto vocantur *principatus, potestates, dominationes &c.* tum quòd à D. Dyonom. c. 4. & 7. nō dicantur *immateriales* & ab omni materia soluti, & aliàs: *Divina simplicesq[ue] naturæ*. Tum quòd anima rationalis ex materia spirituali non sit composita: ergò & Angeli animæ rationali perfectiores ejusdem compositionis expertes erunt. Hinc ubi August. docet *Confess.* DEUM materiam fecisse creaturæ corporalis & spiritualis, loquitur ex Philosophia Platonica ponente Angelos esse corporeos, tenet enim eandem & communem esse materiam corporeæ & spiritualis creaturæ. Sanctus verò Damasc. dum dicit, quidquid aliud est à DEO, materiâ constare, aliud non vult, quām nullam creaturam esse æquè simplicem ac DEUM, quod verum est, cùm unaquæque substantia creata componatur ex natura & subsistentia, & insuper constet materiâ secundâ. Quando demum Aristoteles docet genus desumi à materia, differentiam à forma, loquitur vel de genere physico, quo Angeli carent; vel si de metaphysico, tunc non de rebus simplicibus sed compositis loquitur, & in his vult genus desumi à materia secundūm quandam proportionem in eo stantem, quòd sicut materia est determinabilis ad speciem physicam, sic genus sit pars determinabilis ad speciem metaphysicam. Quò verò magis communi sententiæ suffragentur, multi omnem etiam possibillem Angelis denegant ex materia & forma compositionem. Cum quibus

XII. PROBATUR Thesis: Tum quia Angelus antecellit perfectione & simplicitate animam rationalem ergò sicut hæc ex materia & forma est incomposita ( securus enim esset substantia completa ) ita erit incomposita

positus & Angelus. Tum quia possibilitas & existentia materiae tanquam subjecti primi à posteriori nobis innotuit ex generatione & corruptione substantiali, ut docetur in physicis; atqui in Angelis neque generatio datur, neque corruptio substantialis; non quidem corruptio, cum sint incorruptibles, ut paulò post ostendetur; non etiam generatio; hæc enim deberet fieri per decisionem partis à generante ( cum generatio sit *origo viventis à vivente ut principio conjuncto*, & per identitatem totius naturæ, ut fit in divinis, Angelus unus alteri conjungi non possit) atqui decisio illa partis non datur in Angelis, cum non secus atque anima partibus integrantibus destituantur: ergo. Tum maximè à priori: quia repugnat materia prima spiritualis: ergo repugnat Angelum ex ea utpote chymærica componi. *Antec. prob.* Illa materia prima deberet esse pura potentia physica formarum spiritualium substantialium receptiva; atqui talis, quæ sit pura potentia spiritualis, repugnat: ergo. *Maj.* materiæ primæ essentiam explicat, ut constat à pari de materia sublunari. *min. prob.* Illa potentia seu materia spiritualis esset hòc ipsò identicè suus actus physicus spiritualis: ergo repugnat materia talis, quæ sit pura potentia spiritualis. *Antec. prob.* Illa materia prima spiritualis, etsi foret entitas incompleta, sicut est anima rationalis, esset tamen hoc ipso intellectiva ( ex spirituali enim infertur intellectivum, ut innui ex S. Th. in de DEO num. CI) atque adeò esset activa: ergo non pure passiva; activa autem sine actu esse non potest: ergo esset suus sibi actus, sive deum actu ageret & intelligeret per intellectum distinctum sive indistinctum. Atque hinc talis materia

spiritualis licet entitativè eadem , secundum diversam tamen rationem formalem activa simul esset & passiva, seu in actu & in potentia ; sicut intellectus noster entitativè idem est simul agens , in quantum virtute continens intellectionem , eam producit , & simul est patiens , in quantum carens intellectione actuali , mox ut eam producit , etiam recipit illam , & ita secundum diversam rationem formalem est in actu simul , & simul in potentia.

XIII. OBIICES : Potest anima spiritualis facere unum per se cum corporea materia : ergo à fortiori potest forma Angelica facere unum per se cum materia spirituali magis sibi proportionata , quam sit corporea. CONFIRMATUR Primò. Plus est spiritum perfici & compleri à corpore in statu suo naturali , quam spiritum à spiritu , ut patet , quia Angelus potest perfici ab accidente spirituali , sua nempe operatione , non autem ab accidente corporeo : ergo si anima , quae est spiritus , perfici potest à corpore , poterit etiam forma Angelica à materia spirituali. CONFIRMATUR Secundò. Potest Angelus componi ex natura & subsistentia ita ut in esse naturæ completus compleatur per subsistentiam in ratione substantiæ : ergo pariter potest componi ex forma & materia spirituali , ita , ut per hanc materiam forma compleatur in esse naturæ seu principii motu . Respondeo ad hæc omnia simul : nego cons. quia nec materiam corpoream nec subsistentiam existere repugnat ; repugnat autem existere materiam spiritualem , eò , quod esset pura potentia phisica & simul non esset : ergo nequit ex ipsa & forma fieri unum per se. Ob eandem rationem , licet detur compositum quoddam ex partibus pure materialibus , ut

ut plantæ & bruta; & aliud ex una parte materiali & altera spirituali, videlicet homo; non tamen datur tertium ex partibus purè spiritualibus, quia nimirum materia spiritualis est impossibilis. Hinc falsum etiam est, quod homo sit compositum medium participans de duabus extremis compositis & sibi oppositis, quorum unum sit purè materiale, alterum purè spirituale, cum enim compositum substantiale purè spirituale chymæricum sit, participaret de extremitate chymærico. DICES: Defactò Angelus est compositus ex forma & materia spirituali: ergo compositum hujusmodi non est chymæricum. Antec. prob. Angelus est ens completum: ergo ens compositum ex materia & forma. Prob, conf. Ens completum neque est sola forma, neque sola materia: ergo compositum ex utraque. Respondeo nego ant. prob. nego conseq. hujus prob. dist. ant. ens completum non est sola forma per se non subsistens, sed ordinata ex natura sua ad informandam materiam, conc. non est sola forma talis, quæ per se subsistit, nego ant. & conseq. Forma Angelica est per se subsistens, neque ordinatur ad informandam aliquam partem. Urgebis: Angelus est accidentaliter compositus: ergo etiam substantialiter. Ant. patet ex prænot: Conseq. probatur: compositio accidentalis fundatur in compositione substantiali, sicut esse accidentale fundatur in esse substantiali: ergo cum Angelus sit compositus accidentaliter, debet pariter esse compositus substantialiter. Respondeo nego conseq. antec. prob. potest vel transmitti, potest enim fundari in aliqua compositione substantiali, nempe ex natura & subsistentia, aut juxta complures, ex essentia & existentia, vel

potest negari, quamvis enim esse accidentale in substantiali fundetur, non tamen compositio accidentalis in substantiali; quia nimis accidens ex conceptu suo est *entis ens*, atque adeò supponit *ens seu esse*, in quo fundetur; at verò compositio accidentalis aliud non dicit, quām vel utramque vel alterutram partium componentium esse accidentalem; quod haberi potest, et si non præeat compositum, modò præat esse substantiale.

**XIV.** **REPLICABIS:** Primò. Si Angelus omnī penitus materiā est destitutus, est ens summè immateriale seu actus purus, quod soli proprium est enti increato. *Respondeo dist. assūm.* si omnī materiā etiam secundā est destitutus, est actus purus *conc.* si solā materiā primā, quæ sit pura potentia physica receptiva formarum substantialium, sit destitutus, *nego assūm.* materia secunda omnis illa substantia est, quæ recipere potest formas accidentales, vel terminum substantialēm nempè subsistentiam; atque talis est quælibet substantia creata. **REPLICABIS Secundò:** Angelus est forma tantū & quidem per se subsistens; atqui forma est actus: ergò Angelus est tantū actus seu actus purus. *Respondeo Primò.* Utrōque argumentō probaveris animam separatam esse actum purum. *Respondeo secundò dist. maj.* Angelus est forma tantū per exclusionem materiæ primæ *conc.* materiæ secundæ *nego maj.* & sic *min.* Angelus enim est materia secunda, quia est receptivus suarum operationum à se distinctarum. **REPLICABIS Tertiò:** Secundum non datur sine primo; ergò materia secunda sine prima non datur: ergò si Angelus est materia secunda, constabit etiam primā. **Respondeo dist. ant. secundum non**

non datur sive primo illo, à quo tale secundum denominatur *conc.* sive alio primo *nego ant.* & *conf.* Materia secunda dicitur illa, quæ recipit actus secundos, nempè accidentia, quæ vocantur actus secundi eò, quòd forma substantialis vocetur actus primus; quælibet autem substantia creata potest recipere accidentia seu formas accidentales: ergò quælibet potest esse materia secunda, REPLICABIS: Quartò: Angelus potest recipere & substare formis saltem accidentalibus: ergò habet materiam primam. *Prob.* *conf.* recipere & substare est proprietas materiæ primæ: ubi autem datur proprietas materiæ primæ, ibi datur materia prima: ergò. Respondeo: *nego conf.* *prob.* *dist.* *maj.* recipere formas substanciales est proprietas materiæ primæ *conc.* formas merè accidentiales *nego maj.* & *omiss.* *min.* *nego conseq.* REPLICABIS Quintò: Angelus nec est pura potentia, sic enim esset materia prima; nec est purus actus, aliàs esset DEUS: ergò est quid compositum ex potentia & actu. Respondeo *nego conseq.*, sed est actus irreceptibilis in subjecto, receptivus tamen accidentium. REPLICABIS: Sextò: Actus limitatur per potentiam: ergò actus irreceptus in potentia physica est illimitatus. Respondeo: et si actus receptus limitetur suò modò per potentiam receptivam, ità, ut v. g. non possit pro tunc simul actuare aliam potentiam; quilibet tamen actus creatus limitatur per propriam suam entitatem, seu per differentiam propriam specificam vel individualem; cùm enim differentia sit exclusiva perfectionis alterius speciei, vel individui, jam per illam ponitur limes propriæ perfectioni.

THE.

## THESIS IV.

*Angeli sunt immortales & incorruptibles, non per gratiam & ab extrinseco, sed per naturam & ab intrinseco, sic ut non nisi per potentiam DEI extra-ordinariam & contra naturalem suam exigentiam annihilari possint.*

xv. PRÆNOTO Certum esse, quod defacto Angeli non sint annihilandi, nam Christus jubet discedere *Matth. 25, maledictos in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* & alibi, dum de filiis resurrectionis loquens *Luc. 20, ait: neque enim ultra mori poterunt, subdit rationem: aequales enim Angelis sunt:* ergo supponit Angelos esse *Epla. Jud.* immortales. Sic aliud item loco dicuntur Angelii qui non servaverunt suum principatum - - vinculis aeternis sub caligine reservari. Certum rursus est Angelos non esse corruptibles corruptione propriè dicta & mutativa, quâ aliquid ex ente in actu transit in ens in potentia, seu de esse ad, non esse subjecto manente eodem. RATIO est, cum enim incorporei sint, & præterea omnî materiâ etiam spirituali careant ex dictis, nequit manere subjectum idem. Iterum extra controversiam penè est Angelos de potentia DEI absoluta annihilari posse, sicut enim ex nihilo sunt producti, ita in nihilum rursus reduci possunt, utpote entia creata DEO perfectè subjecta; verumtamen ab eo solùm in nihilum redigibiles sunt, à quo ex nihilo sunt creati, atque ita ab extrinseco possunt, ab intrinseco tamen non petunt annihilari, cum neque habeant pugnantes & ad destructionem disponentes qualitates, neque constent

stent materiâ & formâ dissolubilibûs, neque intrinsecam exigentiam habeant certæ non nisi & determinatæ durationis, eò, quòd nullum hujus exigentia Angelis attribuendæ extet fundamentum, & communis Doctorum consensus stet pro exigentia intrinseca ad perpetuam sui conservationem Angelis concedenda. Atque de hac exigentia intrinseca & naturali præsens est difficultas, an videlicet Angeli itâ sint *immortalitate perpetui* ( utor terminis, quibûs <sup>L. 5. de Consid.</sup> eos honorat S. Bern. locô sup. cit.) ut naturâ suâ exigant non annihilari? An verò sit mera gratia, quòd conserventur, quemadmodum sentire videtur Damasc., cùm ait. *immortalis est Angelus, non naturâ sed gratiâ* hanc subdens rationem : nam quidquid initium <sup>L. 2. de Fi-</sup> <sup>de orthod.</sup> <sup>c. 3.</sup> *habuit, desinere suapte naturâ potest.* Similiter Sophronius in epistola, quæ habetur in actis sextæ Synodi sic loquens : *immortales perseverant Angeli, non quòd natu-* <sup>Aetione XI.</sup> *turam revera incorruptam habeant, sed quòd gratiam divini-* *tus sortiti sint largitricem immortalitatis.* Quibûs tamen non obstantibûs

PROBATUR Thesis : Anima rationalis per naturam XVI. est immortalis : ergò pariter & Angelus. Conseq. rectè videtur sequi, quod enim convenit imperfectioni, debet convenire etiam perfectioni intra eundem ordinem perfectionis, sic quia animæ convenit discurrere, convenit id ipsum etiam Angelo. Antec. autem probatur : In conc. Lateran. definitur anima rationalis per naturam esse immortalis, dicitur enim ibi *animam rationalem non solum verè per se & essentialiter humani corporis formam existere, verum & immortalem esse :* ergò sicut definitur ipsam non per gratiam sed per se esse corporis formam, itâ definitur non per gratiam sed

sed per se & naturâ suâ ipsam immortalem esse. Respondebis conc. aliud non velle, quâm quòd anima sit immortalis relatè ad causas secundas. CONTRA est, quia hoc satis clarè Christus definit iis verbis:

*Matth. 10. animam autem non possunt occidere; superfluum proinde fuerat veritatem tam clarè in scriptura expressam à conc. definiri. Neque OBSTAT, quòd concilium utatur autoritate Evangelij; nam utitur illa autoritate sic tamen, ut ex eo loco eruat aliquam novam veritatem, animam videlicet naturâ suâ esse immortalem, ut colligitur ex ijs Concilii terminis: per se & essentialiter, hoc est: per essentiam seu naturam suam. Neque DICAS: ij termini per se & essentialiter, appellant solùm supra ly formam corporis non autem supra ly immortalem esse, aliàs sicut per essentiam est forma corporis, ità, ut nec divinitùs possit non esse forma corporis, cùm sit essentialiter ens incompletum ordinatum ad informandum corpus, sic per essentiam esset immortalis, ut nec divinitùs posset annihilari. Respondeo eos terminos cadere super utrumque eò, quòd connectantur per particulas non solùm, verùm &. Ad rationem additam Respondeo verum esse, quòd sicut anima est per essentiam forma corporis, ità ut naturaliter petat informare corpus, sic per essentiam sit immortalis hoc sensu, quòd ex essentia & natura sua exigat perpetuò conservari; sicut tamen non obstante, quod petat informare, potest actu non informare, sic non obstante, quòd exigat non annihilari, potest tamen contra exigentiam suam annihilari à DEO, & tam redigi in nihilum, quâm in nihilo relinqui potuisset. CONFIRMATUR Thesist inde: quia ut quælibet res, sic & Angelus naturaliter non modò*

con-

conservatur, sed & conservari petit ( nam *natura in agitur, sic nata est agi*, hoc est : quod constanter fit, cum exigentia naturæ fit ) eōusque, donec vel causa ipsius conservans deficiat, quemadmodum deficiente Sole deficit lux, vel ad exigentiam contrarii destruantur, sicut calor in aqua destruitur ad exigentiam frigoris ; atqui nec causa Angelum conservans, quæ est DEUS, deficit, nec ullum Angelus contrarium habet, ad cuius exigentiam pereat : ergò naturaliter semper conservatur & exigit semper conservari.

OBIICIES : Authoritates in fine prænotati positas : XVII.  
 Respondeo : Per illas aliud non intendi, quām quòd Angeli non habeant immortalitatem talem, qualem DEUS, videlicet ab alio independentem & à se existentem, hōc enim modō ipse *solutus habet immortalitatem* 1. Tim. 6. quo pariter sensu alibi dicitur : *nemo bonus nisi Marc. 10. unus DEUS*, unde PP. nomine *gratiae* ibi intelligunt *donum creationis*, quod inde fit manifestum, quia Angelis etiam malis attribuunt immortalitatem, & quia clarè id exprimit Hier: dicens, quòd immortalitatem *ex largitionis dono consequantur*. INSTABIS Primò : *Comment. Quamyis prima ignis productio sit ex gratia, nemo in Epst. Pauli ad tamen propterea dicit ignem calefacere ex gratia* : *Tuum.* ergò PP. propterea, quòd creatio sit Angelis gratia, non potuissent dicere immortales ipsos esse gratiâ. Respondeo *nego cons. disp.* est usus & acceptatio hominum in quibusdam rebus derivantium denominationem gratiæ in conservationem, in aliis non item ; sic quòd ignis calefaciat, non vocant gratiam ; quòd sol oriatur super bonos & malos, vocant gratiam. INSTABIS Secundò : Angeli sicut sunt è nihilo produciti, ità sunt in nihilum redigibiles : ergò quod non  
 D 2  
 redi-

redigantur, sed conserventur, non solum denominatur sed re ipsa est gratia. Respondeo *dist. ant.* sunt in nihilum redigibles ab extrinseco & quidem miraculosè atque ad nullius causæ secundæ exigentiam *conc.* ab intrinseco & naturaliter *nego ant. dist. cons.*, quòd conserventur, est gratia, hoc sensu, quòd absolute possit fieri oppositum, nec fiat *conc.* hoc sensu, quòd conservari non exigant *nego cons.* INSTABIS Tertiò: Primò produci non exigunt: ergò neque conservari. Respondeo *nego cons.* quia exigentia identificatur ipsi esse rei; antequam autem res sit, nullum habet esse: ergò nullam exigentiam postquam verò est producta habet esse: ergò & exigentiam. INSTABIS Quartò: Angeli non exigunt existere semper, à parte ante: ergò neque à parte post. Respondeo *nego cons.*, quia suppono ex Philosophia impossibilem esse creaturam ab æterno, secùs in æternum durantem; neque enim duratio perpetua à parte post arguit infinitudinem perfectionis, cùm *malum sit ex quolibet defectu*. INSTABIS Quintò: Quòd Angelus possibilis è nihilo non producatur, etsi possit, nihil fit contra ipsius naturam: ergò neque, quòd non conservetur, etsi possit conservari. Respondeo *nego cons.*, quia possibilis non habet exigentiam, sed purè non repugnantiam & veluti permissionem productionis: At verò existens habet positivam exigentiam conservationis, & sic se *ipso* resistit destructioni, ut per potentiam *ordinariam*, quâ est productus, destrui non possit, ut enim per hanc posset, deberet ad exigentiam alicujus causæ secundæ destrui, quod tamen non fit.

THE-

## THESIS V.

*Maxima est Angelorum Spirituum multitudo, & tanta, ut penè innumerabilis jure debeat censeri.*

**P**RÆNOTO Diversas esse PP. de Angelorum numero XVIII. opiniores; S. Dyonis. hīs mentem suam verbīs declarat: *multi sunt beati exercitus supernarum mentium, infimam & constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem.* Ex quo loco Bernardin. Senensis intulit, Angelos in paradiſo existentes plures esse, quām sint stellæ cæli quām sint arenae maris ac terræ, quām sint folia & herbae, & quām sint omnia quacunque creata. Aliqui putant, quòd sicut cæli superiores magnitudine superant inferiores, sic Angeli superent multitudine homines, & Angeli superiores proportionaliter excedant inferiores, ut v.g. singulis hominibus corresponteant decem Angeli, singulis Angelis centum Archangeli, horum singulis mille Principatus, & sic deinceps. Esparza æqualem in singulis Hierarchiis supponere videtur numerum Angelorum, ait enim, quòd sicut singulæ animæ ad singula corpora referuntur, tanquam eorum formæ atque ita individuenrur ac discernantur, ita singulos Angelos infimæ Hierarchiæ referri ad singula corpora, vel singulas corporum collectiones tanquam eorum motores, atque sic individuatos & discernibiles esse; Angelos verò superiores rursus referri ad singulos inferiores tanquam horum illuminatores, & per hanc relationem discernibiles esse non minùs, quām inferiores discerni queant per relationem ad singula corpora huma-

na vel ad singulas aliorum corporum collectiones. S. Gregorius censet Angelos superiores & immediatè divinæ Majestati assistentes pauciores esse, quām in-

*L. 17. Mo-  
ral. 6. 9.* feriores seu ministrantes, ait enim : *quia plures sunt,*  
*qui ministrant, quām qui principaliter assistunt, Assistentium*  
*numerus quasi definitus, ministrantium verò infinitus ostendi-*  
*tur;* in cuius, ut & in primorum opinione non per  
relationem ad corpora, sed per diversa accidentia  
spiritualia discernibiles, non à nobis quidem, sed à  
DEO vel se ipsis esse deberent. Verūm obscura ni-  
mīs res est, & nullo satī fundamento probata cer-  
tum Angelorum numerum determinare. Certum  
proinde solūm est magnum eum, at simul indefini-  
tum esse, ut colligitur ex citato jam Dyonisio, quem  
præterea *infinitum* paulò ante dixerat Gregorius, ubi  
etiam DEO numerabilem, hominibus innumerabilem asserit  
esse. Quod ipsum in scriptura fundatur dicente :

*Job. 25.* *nunquid est numerus militum ejus ? & aliàs : millia millium*  
*Dan. 7.* *ministrabant ei, & decies centena millia ; decetque divi-*  
*nam Majestatem tum in ministerio administratorios*  
*sine numero habere spiritus, tum pugnantem pro*  
*DEI honore eam cælestis militiæ multitudinem, que*  
*Prov. 14.* *exercitus sit propè immensus, quia in multiudine po-*  
*puli est dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Prin-*  
*cipis.*

**XIX.** PROBATOR Thesis etiam ratione congruentia pri-  
mò : quia partes universi, quò nobiliores sunt, eò  
sunt quantitate maiores, ut patet in corporibus cæ-  
lestibus respectu sublunarium ; atqui substantiæ purè  
immateriales meliores sunt aliis non purè immateria-  
libus : ergò sunt quantitate vel quasi - quantitate id est  
numerò potiores. Sed non quantitate continua,  
cùm

cum hujus sint incapaces, sicut & quantitatis discretae propriè dictæ : ergò quasi quantitate seu multitudine. Atque hinc verosimillimum est, quod Angeli excellant numerō non solùm species rerum materialium, verùm etiam omnia individua humana, velutì revelatum habetur S. Brigittæ, cui Beatissimam Virgo L. 4. reve-  
lat. dixit, tantum esse Angelorum numerum in infimo duntaxat choro, ut denariō ad minus excessu superet universam hominum multitudinem ab usque prima mundi origine ad illius consummationem futurorum. Neque Dicas : Tertia pars Angelorum cecidit juxta id : *cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum celi,* & Apoc. 13. misit eas in terram ; huic autem tertiae parti æquivalet pusillus grex hominum electorum, Christus enim im- Ps. 109. plebit ruinas, hoc est : homines electi occupabunt sedes Angelorum lapsorum, ut docent SS. PP. : ergò tanta est tercia pars Angelorum, quantus est numerus electorum. Atqui hominum electorum numerus est saltem tercia parte minor numerō reproborum, quia pauci sunt electi ex multis vocatis & respectivè pu- Matth. 20. filius grex : ergò integer numerus hominum tantus fal- & 22. tem est, quantus numerus Angelorum. Respondeo : Quod vel non sint occupandæ omnes sedes Angelorum, vel unus homo plures sit occupaturus, vel quod pars illa Angelorum figuratè significet homines doctos à Dæmone decipiendos, ut exponit Beda, non verò Angelos lapsos. SECUNDÒ : Multitudo militiæ cœlestis colligitur ex multitudine hominum & specierum materialium, nam singulis rerum materialium speciebus præesse Angelum docet S. Greg. ; singulis Hom. 34. etiam hominibus peculiarem adesse ex infimo choro in Evang. Angelum negari haud potest, siquidem Angelis suis Ps. 90.

*mandavit de te, ut custodiant te.* Hinc Jacob suum habuit Angelum, *Angelus qui eruit me*, Judith suum : *cuidavit me Angelus*, Petrus suum, ut agnoverunt in primitiva Ecclesia fideles dicentes : *Angelus ejus est*, docetque id post Hier: Ambrosium S. Bern. inquiens : *Putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur, missi in ministerium secundum Pauli doctrinam, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Et sanè Christus ipse, ubi de pluribus parvulis loquitur, pariter plurium meminit Angelorum : *Angeli eorum in celis semper vident faciem Patris.* Nè vero dixeris, inquit Bern. in Cant. 4. *nardus, ubi sunt? quis eos vidi?* vidi *Heliceus*, & Reg. 6. *giezi, tu non vides, quia non es propheta, nec puer propheta;* Genes. 32. *vidi Jacob & ait: castra DEI hæc sunt.*

**XX.** RATIO AUTEM, cur necessaria sit nobis Angelorum tutela, est, quia homo ob intelligentiæ & constantiæ defectum ab unione ad corpus ortum impar est regendo se ipsum : ergo inter innumera tum moralia tum physica pericula opus habet Rectore & Directore, sicut ferè sublunaria indigere sciuntur cælorum influxu : Et quoniam unusquisque homo constantiæ opus habet Angeli assistentiâ ob datam immediatæ rationem, unus vero Angelus constanter adesse non possit pluribus hominibus utpote indifferentibus ad quamcunque inter se distantiam secundum locum, inde fit singulis hominibus singulos Angelos necessarios esse, cujus rationem istam producit S. Thomas :

*quia singuli homines ob animæ immortalitatem æquivalent singulis speciebus rerum corruptibilium; singuli autem speciebus præsunt ex D. Greg. l. c. singuli Angeli : ergo & singuli singulis hominibus. Quin imò valde probabile est uni nonnunquam homini præ-*

præsertim in graviora pericula conjecto vel inge-  
tium negotiorum mole presso plures Angelos adesse;  
sic enim duo Angeli Loth eduxerunt de Sodoma; Gen. 19.  
sic apud Danielem Michaël venit in adjutorium An- Daniel 10.  
gelo causam populi DEI agenti. Ex quo item loco  
communiter Theologi inferunt, singulis provinciis &  
urbibus Angelos præesse Tutelares, ibi enim fit men-  
tio Principis Persarum & Principis Græcorum, qui  
erant Angeli Præsides harum nationum; prout etiam  
colligitur ex libro Jösue, ubi Angelus ait: *sum prin- Jösue 5.*  
*ceps exercitū Domini;* & item ex illo Isaiæ loco: *su- Išai. 62.*  
*per muros tuos Jerusalem constitui custodes,* in quem locum  
sic habet Bern. *ipsis hominum Prælatis hominibus Angeli-* Ser. 4. de  
*cam quoque custodiā superponis, ut muros defensent, & eos,* Dedic.  
*qui murorum ambitu continentur.* Idémque tenent SS.  
Basilius, Theodoretus & alii PP. Neque Dicas:  
Christus non habuit Angelum Custodem; reprobi  
item nullum habent, cùm Angeli dicantur *misi in mi-*  
*nisterium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis,* & quia  
aliás peccata à reprobis commissa Angelorum in cu-  
stodiendo negligentiae imputarentur: ergò non omnes  
homines habent custodiā Angelorum. Respondeo  
enim Christum omnino non habuisse Angelos pro cu-  
stodia, quia utpote sapientia & potestate ipsīs admo-  
dūm superior eorumque Dominus eā opus non ha-  
bebat. Hinc Mellifluus Noster: *non est, quod custodia-* Ser. 14. in  
*iur, cui non est, quod timeatur, & paulo ante: huic ne-* Pſ. 90.  
*cessē est custodiri; cui timendum, nè offendat ad lapidem pe-*  
*dem suum.* Habuisse tamen Angelos *in obsequio juxta*  
id: *Ecce Angeli acceſſerunt & ministrabant ei.* Idémque  
piè credi potest de B. V. Domina Angelorum. Ad  
id de reprobis Respondeo verum esse, quod princi-  
paliter

paliter propter electos custodia hæc sit decreta, in quibus etiam solis adæquatus hujus custodiæ finis obtinetur; secundariò tamen etiam propter reprobos Angeli mittuntur, ut tantò minùs excusabiles sint dum peccant; peccant verò non ex defectu custodiæ, sed ex arbitrii liberi abusu.

**XXI.** QUÆRES hic opportunè: quid Officii Angelus Custos homini exhibeat? quando custodiam istam incipiat & finiat? & an unusquisque homo habeat sicut Angelum suum Custodem, ità Dæmonem impugnatorem? Respondeo ad primum: A malis & periculis hominem liberat juxta id: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, dæmones à nocendo cohibent, ut patet*

*Gens. 48.  
c. 6. & 8.*

*Exod. 23.*

*Ibidem.*

*Hom. 3.  
Super mis-  
sus.*

*Ser. 7. in  
Cant.*

*In c. 18.  
Matth.*

*Q. 113. 4.*

*dieris vocem ejus, & feceris omnia que loqueror, lapsos erigunt, non dimittet, cum peccaveris. Nostras DÉO preces offerunt, ut docet præter alios S. Bern. dicens: solent Angelii astare orantibus - holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre DÉO in odorem suavitatis. Et alibi sic alloquitur Angelos: quis dabit mihi per vos, ô benigni principes, petitiones meas innotescere apud DÉUM?* RESPONDEO ad secundum. Exordiri eos custodiam ab hominis nativitate, ut tradit S. Hier. dicens: magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu sua nativitatis in custodiæ sui Angelum deputatum.

RATIO autem est, quia antequam homo nascatur, est veluti unum quid cum Matre, atque adeò ab Angelo Matris sati valet custodiri; infans autem jam natus est indifferens ad quamcunque à Matre distantiam, & proinde Angelus matris eidem nequit assiduò adesse. Finit

verò Angelus custodiæ suam ex mente S. Thomæ ab obitu mox hominis eò, quod custodiæ homini tunc

tunc non sit opus ; Aliorum autem opinione , inter quos Justinus Martyr , absolvitur Angelus à cura hominis post universalem orbis instaurationem reunitis ad corpora animabus & ad statum deinceps non variandum perductis ; interim verò solatur purgantes animas , & plenè purgatas ad cælum deducit juxta id : factum est autem , ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. RESPONDEO ad tertium : Quia Jacobo teste *DEUS neminem tentat* , tentatione *Gen. 22.* videlicet seductionis ( nam tentatione probationis ad capiendum virtutis experimentum *DEUS tentavit Abraham* , & hodie suos igne examinat & aquâ ) idcirco ipse non ordinat singulis hominibus singulos Angelos malos tentatores ; quia tamen hoc ipso , ac velit vitam hominis esse *militiam super terram* , tentationes fieri *Job. 7.* permittit ( sic tamen , ut non patiatur nos tentari supra id , *1. Cor. 10.* quod possumus , sed faciat etiam cum tentatione proventum , ut possimus sustinere ) fundata conjectura est , quod Lucifer cuique subjectum sibi Diabolum destinet impugnatorem . RATIO est , quia & per superbiam , quâ contra DEUM assurrexit , divinæ providentiae opera cuique homini Custodem Angelum ordinantis æmulari ambit , & per invidiam , quâ agitatus furit in hominem , hunc à DEO connititur avocare , eaque propter tanquam leo rugiens circuit , querens , quem devo- *1. Pet. 5.* ret , prout Divus Martinus conspexit , quando in illa *in ejus vi-* verba erupit : quid astas cruenta bestia ? nihil in me funeste *ta.* reperies .

## THEISIS VI.

Tota Angelorum universitas in tres Hierarchias & novem ordines seu choros est distributa.

**XXII.** PRÆNOTO. Angelos à Theologis & PP. communiter in *ministrantes* dividi & *assistentes*, fundamento ad ponendam hanc divisionem eruto ex Daniele, qui millia millium ait *ministrasse*, & decies centena millia *assisteret*; Assistentes nonnullis illi dicuntur, qui immediate à DEO illuminantur, ejusque voluntatem circa universi gubernationem immediatè excipiunt, eamque intimant inferioribus; Ministrantes ij, qui cognitâ jam voluntate DEI partim executionem operum divinae providentiae disponunt, partim exequuntur, sicut ferè in Regia Aula quidam Aulici immediatè Regi assistunt, ejusque voluntatem & mandata excipiunt, & inferioribus intimant, nonnullis quidem pro executione disponenda, aliis autem exequenda. Jam nonnullorum est opinio illos solùm assistentes esse, qui supremam constituunt Hierarchiam, qui verò mediam & infimam, esse ministrantes, pars quidem disponendo, qui nempè sunt mediæ, pars autem exequendo, qui nimurum sunt infimæ Hierarchiæ. Huic opinioni facem præferre videtur Magnus Gregorius num: XVIII. citatus, qui assistentes pauciores esse censet, plures ministrantes. Alii & fortè probabilius putant omnes Angelos etiam assistentes simul esse ministrantes. RATIO est, quia omnes mittuntur: ergò omnes ministrant, mitti enim per imperium, qualiter Angeli mittuntur, est ministrare: hinc

hinc ab Apostolo omnes dicuntur *administratorii spiri-* *tus*, non minùs quām dicantur omnes adorare Christum; adorant autem omnes nullō exceptō: ergò omnes pariter ministrant nē uno quidem exceptō, si nempè mittantur: & propterea *assistere* de Angelis dictum aliud videtur non significare, quām quōd prompti semper sint & expediti ad recipienda & exequenda DEI mandata, non verò significat præsentiam ministerii exclusivam, quod colligitur tum ex scriptura, nam Raphaël ait se *unum esse ex septem*, qui *Tob. 12. astamus ante Dominum*, & tamen missus est ad Tobiam.

Gabriel item ad Zachariam missus ait se *adstante ante DEUM*. Michaël dicitur *unus do Principibus primis* & *Dan. 10. infrā Princeps magnus*, & tamen missus ad ferendam opem. Tum ex PP. Gregorius enim Nyssenus de Seraphin docet, quōd *propter salutem eorum, qui salvantur emittantur*. S. Bern. de Cherubin, quōd sint *administratorii Spiritus missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Quamvis porrò omnes sint spiritus administratorii, non hominum tamen sed DEI sunt ministri, sicut Pastor curam licet habens ovium, non ovium, sed Heri ovium est minister & servus, & propterea Angelus apocalypticus non servum se sed conservum dixerat Joannis, nec usquam in scriptura hominum ministri vocantur, hinc dum S. Bern. ait esse *Ministros nostros, non Dominos nostros, & in hoc Unigeniti formam imitari, qui non venit ministrari, sed ministra-re, censendus est loqui de ministerio curae & laboris,* non verò subjectionis. Jam verò

PROBATUR Thesis: Hierarchia aliud non est, quām potestas ordinandarum sacrarum functionum, seu facer quidam principatus, in quo multi sub- XXIII.

terminato Hierarcha seu Principe & Præside sacrorum sunt constituti ; sed tales principatus inter Angelos tres dantur ; ergò tres dantur Hierarchiæ , in quas Angeli universim sunt distributi. *maj.* est acceptio nominis. *min. prob.* nam primò datur Hierarchia seu principatus inter Angelos , cùm Respublica Angelica non minùs ordinata , imò ordinatissima sit quàm Respublica Ecclesiastica : ergò sicut Hierarchia Ecclesiastica datur in terris , ità datur Angelica in cælis. Deinde Hierarchia hæc cælestis non est unica , sed sunt tres : ergò tres dantur Hierarchiæ & Principatus scri. *subs. prob.* consensu omnium Theologorum sequentium doctrinam D. Dyonisij hoc expressè tridentis , itemque Greg. Bern. & aliorum , hoc solùm discrimine , quòd Dyonisius in infima Hierarchia ponat Angelos , Archangelos , Principatus . In media Potestates , Virtutes , Dominationes . In suprema

*De Cœl.  
Hier. à  
cap. 6.*

*Greg. hom.* Thronos , Cherubinos & Seraphinos . D. verò *Greg.*  
*34 in Ev.* & hunc secutus Bernardus pluribūs locis ponat Vir-  
*Bern. l. 5.* confid. c. 4. tutes in infima , & Principatus in media Hierarchia.

*Item serm.* Eodem modo probatur novem esse choros Angelorum seu collectiones magis determinatas , quia nemino & ser-  
*de S. Mar-* mon. 19. in rum & pauciores à PP. post Dyo-  
*Cant.* nisium recensentur , totque etiam ordinum nomina in scriptura reperiuntur ; nam solus Paulus septem numerat , sic enim alicubi ait : certus sum enim , quia -

*Rom. 8.* neque Angelii neque Principatus neque Virtutes , alibi verò *Coloss. 1.* sequentium meminit : *sive Throni sive Dominationes* -- *sive Potestates.* Alio demum loco Arch-Angelos lau-

*Theff. 4.* dat inquiens : *ipse Dominus in iussu & in voce Arch-An-*  
*Ezech. 10. geli.* Ezechiel nominat Cherubinos : *Cherubin autem*  
*stabant à dextris domus.* Et denique Isaias Seraphinos :

*Sera-*

*Seraphin stabant super illud : ergò in novem choros seu* <sup>An Eph. 6.</sup> *ordines Angeli sunt distributi. Ad hos ordines secundum gradum naturæ & gratiæ vialis pertinebant etiam Dæmones, sed ab eo gradu peccando exciderunt : secundum gradum tamen naturæ retinent inter se quendam ordinem, sed ad malum intentum, quamvis autem ex singulis choris quidam fortè ceciderint, eundemque, quem prius habebant, inter se ordinem retineant, non tamen eadem nomina, sed illa solùm, quæ sunt indifferentia ad bonum & malum significandum, ut sunt Principatus & Potestates, quæ illis Apostolus attribuit *adversus Principes & Po-* <sup>Pj. 109.</sup> *testates*, non tamen vocantur *Throni seu Sedes DEI*, cùm sint *scabellum pedum*, non *Dominationes*, quod libertatem importat, cùm sint *rudentibus inferni detracti Epist. Jud. &c.**

Igitur novem sunt Angelorum chori, quia, ut XXIV. loquitur Gregorius : *testante sacro eloquio -- scimus An. L. c. gelos Arch-Angelos, virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes Thronos, Cherubin atque Seraphin.* Quamvis verò Doctor Mellifluus consuetâ sibi modestiâ ignorare se fateatur, *quid lateat in his tantis appellationibus*, <sup>Serm. de S. Mart.</sup> dicátque : *benè nomina novi, fortè hoc totum est, quid enim amplius capiam terrigena de cœlestibus, carnalis homo de spiritualibus & divinis?* abundè tamen eorum nominum significata exponit Serm. cit. in cant., pressius verò libro illo de confid., ubi docet Angelos esse, qui sunt *L. 5. c. 4. missi in ministerium propter eos &c.* Arch-Angelos, qui non nisi ob præcipias & maximas causas mittuntur. Virtutes esse, quarum nutu & opere signa & prodigia fiunt, indequé fortassis esse, quòd cùm in Evangelio legitur : *erunt signa in Sole & Luna & stellis paulò post Luc. 21. sub-*

subjugatur : nam virtutes calorum movebuntur. Potestates, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aëris hujus, nè quantum vult, noceat, nè malignari, nisi ut pro sit, possit. Principatus verò, quorum moderamine & sapientia omnis in terra principatus constituitur. Dominationes autem, ad quos tanquam ad Dominos referuntur regimina principatum, tutamina potestatum, operationes virtutum, revelationes Arch-Angelorum, cura & providentia Angelorum. Thronos inde dici, quod sedet in eis DEUS, quæ sessio aliud non significat, quam summam tranquillitatem & placidissimam serenitatem. Cherubin eos esse, qui ex ipso sapientiae fonte ore Altissimi haurientes refundunt fluenta scientiae universi civibus suis. Seraphin demum eos dici, qui toti divino igne succensi succendent universa. Atque hinc Angeli dicuntur à missione & rerum gerendarum executione, uti & Arch-Angeli sed non nisi in rebus præcipuis. Virtutes à signorum operatione, quibūs excitant torpentia mortaliū corda : Potestates à fortitudine in reprimendo maligno. Principatus à regimine. Dominationes à dominio & Maje state, vel, ut aliis placet, à libertate ab affectu peccati. Throni à tranquillitate & terrenorum puritate. Cherubin à scientiæ plenitudine & communicatione. Seraphim ab amore DEI, quia ardent igne DEI, vel potius igne DEO. Quæ omnia non sic accipienda sunt, quasi uni præcellant aliis hac dote & superentur aliâ prærogativâ, v. g. Cherubini superent Seraphinos scientiâ, & hi illos amore, quia cùm ament, quantum possunt, & plus illi ament, qui plus cognoscunt, hoc ipso, qui aliis præminent amore intrinsecè pariter præminent cognitione, puritate, fortitudine &c.

Sed

Sed accipienda est attributio illa præminentiaæ relatae ad inferiores intellectuales substantias, ita, ut unis commissum sit inflammare ad amorem, aliis illuminare & manifestare mysteria, aliis procurare tranquillitatem & terrenos affectus arcere, & sic deinceps.

## THEISIS VII.

*Probabile est omnes Angelos ejusdem esse speciei, & solo inter se numerō distingui.*

**P**RÆNOTO Salvîs fidei nostræ principiis posse seu XXV. statui seu negari specificam Angelorum inter se distinctionem, cùm nullam circa hoc extare Ecclesiæ definitionem sit compertum, ut vel ex eo colligere est, quòd dubia circa præsens punctum nonnullorum PP. hæserit sententia, propterea enim Bernardus priore num. adductus fatetur, se præter nomina penè totum ignorare, & ante ipsum August. docuit nos de nominibus scire Angelorum, *ignorari autem à nobis, qualis sit Personarum illarum differentia*, qui alio sibi loco consonat dicens: & esse itaque sedes *Dominationes* — — — & Enchir. differre inter se aliquid, indubitata fide teneo, sed quō me contemnas, quem magnum putas doctorem, quānam ista sint, & tra priscill. quid inter se differant, nescio, nec sanè ignorantia periclitari me puto. Clarè verò D. Mellifi. alicubi tradit id de fi Lib. 5. de Confid. c. de non esse, sic enim habet: *Beatitudines* ( etiam que 4. non liquidò mortalium percepit auditus ) officia, merita, gradus, ordines utcunque à nobis conijci & discerni queunt. Sed enim, quod ex auditu non est, jam ex fide non est; nam fides ex auditu. Itaque opinando illa dixerimus. Thomistæ solam specificam diversitatem inter Angelos ponunt,

& distinctionem numericam ab ipsis penitus proscribunt, illò principiō nixi, quòd individuationem à materia physica nasci potent & multiplicitatē individualem à quantitate, quâ utrāque Angelos carere est certum. Alii, inter quos Scotistæ, quosdam non non nisi numerō, quosdam etiam specie afferunt inter se differre. Alii demùm cum D. Bonoventura hanc sententiam *sobriam* & *Catholicam* appellante solam inter Angelos numericam statuunt multiplicitatē. In hac jam opinionum varietate verum omnino existimo, quòd non repugnet specificam inter Angelos diversitatem reperiri, tum quia nulla hujusmodi repugnantia produci potest. Tum quia productiva DEI virtus, cùm infinita sit, potest modis infinites diversis à creaturis non modo corporeis, verùm & incorporeis participari, cùm major ratio pro illis quam pro his non appareat. Illo porrò casu specificæ inter se diversitatis Angeli different penès magis & minùs *diversa rationis*, in quantum videlicet unus præ altero *per se* & ex essentia sua potentias exigeret perfectiores, non verò solum *per accidens*, ut fit in homine hebeti & perspicaci, in quibus, quoniam differentia penès *magis & minùs* est ejusdem rationis & purè accidentalis orta à diverso temperamento corporis, speciem variare nequaquam potest, per accidens quippe est, quòd una anima sit in hoc corpore cum hoc temperamento potius quam cum alio, & consequenter, cùm dependenter à phantasmatibus ex meliore temperamento perfectioribus intelligat, perfectiores formet intellec̄tiones. Hæc de possibili, quid tamen pro defacto sentiam, aperit thesis, quæ PRO-

**PROBATOR :** Possibile est Angelos solo numero XXVI. multiplicari, & defactò sic fieri Authoritas suadet : ergò defactò solò numero multiplicantur. *Patet conseq.* quia in hac quæstione facti à sola voluntate DEI pendentis, super qua fides nihil exprimit, optima probatio est, quæ eruitur ex illo loco Theologico, qui vocatur authoritas PPrum. Antec. primam part. tenet contra Thomistas communis, & probatur tum per *non implicat*, neque enim proferri potest implicantia, cur nequeant produci Angeli in natura Angelica æquè sibi similes, ac homines sunt similes in natura humana. Tum quia suppono ex Philosophia individuationis principium esse cujusque rei entitatem, multiplicitatis verò radicem esse limitationem, seu prædicatum positivum ut exclusivum alterius rei existentis, ex quo sic arguo : Ex limitatione velut radice habetur, quod sub eodem genere possint dari plures species, si enim una species totam generis perfectionem absorbeat, unica ipsa daretur, sicut propterea unus specie datur DEUS : ergò ex limitatione haberri potest, quod sub eadem specie plura dari possint individua : quemadmodum enim possibilis specierum pluralitas ex eo capite admittitur, quia una ex vi limitationis suæ non habet, sed excludit alterius speciei perfectionem, ita ex eodem capite admetti debet pluralitas individualis possibilis, quia unum individuum, hoc ipso ac *limitatum* est, ut sunt omnia purè creata, ex vi limitationis suæ non habet, sed excludit rationem individualem alterius. Quoniam autem unumquodque creatum ex essentia sua limitatum est, ex ratione prolata sponte sequitur, *creaturam numericè immultiplicabilem simpliciter impossibilem esse.*

Cujus præterea RATIO est primò. Repugnat creatura, cui dempto solo prædicato individuationis alia perfectè similis non sit possibilis; ergò jam repugnat creatura numerō immultiplicabilis. *Paret conseq.* quia perfecta similitudo in omnibus prædicatis essentialibus seu spectabilibus, quæ nempe rem specialiter in essentia spectabilem redundat, est ipsa convenientia duorum specifica, sicut dissimilitudo essentialis & entitativa est, vel supponit differentiam actualem specificam fundatam in cujusque rei prædicato differentiali limitato: dissimilitudo autem metaphysicè accidentalis oriunda ab individuatione cujusque rei *limitata*, est vel supponit multiplicitatem duorum numericam; unde quæ perfectè sunt similia in essentialibus & dissimilia in sola individuatione, quæ in linea metaphysica censetur prædicatum accidentale, sunt specie unum quid & numerō multa. Dixi autem in prædicatis *spectabilibus*, quia non puto veram esse Philosophiam, quæ specificam seu convenientiam seu differentiam peti putat à prædicato *specioso* seu nobilissimo eodem vel diverso, alioquin enim leo & equus specie non different, quia in prædicato *sensitivi*, quod nobilis est prædicato rugibilis aut hinnibilis, uno vocè convenientiunt.

**XXVII.** PROBatur Itaque antec: enthymematis in sequæ probam propositi: potest concipi creatura cui libet creaturæ possibili perfectè similis cum solo prædicato individuationis diverso, cur enim non? ergò repugnat creatura, cui non sit possibilis alia perfectè similis. Prob. hæc conf. nullum impossibile potest concipi vel esse perfectè simile creaturæ possibili: ergò nullum, quod concipitur, estvè perfectè simile crea-

creaturæ possibili, est impossibile. Ergò repugnat creatura, cui perfectè similis altera non sit possibilis. Antec. constat, nam & essentiæ, & conceptus rei possibilis & impossibilis sunt essentialiter diversi, & minimè verò perfectè similes : conseq. pariter tenet, quia est propositio convertens prioris per conversionem simplificem ; tenere autem illationem à conversa ad convertentem, Dialectici ostendunt : Neque INFERAS hòc pactò alterum DEUM huic perfectè similem fore possibilem : CONTRA enim est, quia impossibile est DEUM alium concipi huic perfectè similem. RATIO est quia alter, qui conciperetur DEO vero perfectè similis, deberet concipi à se existens, ab omni à se distincto independens, & supremi in omnia dominii gubernacula absolute tenens, atque adeò deberet concipi ut potens existere sine hoc vero DEO ; hoc autem eo ipso impossibile est, ac hic DEUS necessariò existit : ergò hic DEUS vi suæ necessariæ & illimitatæ existentiæ omnem cogitabilem perfectionem absorbentis exigit alterum perfectè sibi similem nè concipi quidem posse. Oppositum est in creatura, cùm enim nulla à se & necessariò ac illimitatè existat, nulla excludit seu concipi seu esse alteram sibi perfectè similem. RATIO factæ nuper sequelæ est secundò : quia creatura specie immultiplicabilis est impossibilis, ut suppono ex Philosophia & insinuavi in prænot : ergo & numerò immultiplicabilis, cùm non sit ratio, cur DEUS sit participabilis cum diversitate specifica & non cum multiplicitate numerica. RATIO est tertio : quia si semel admittatur species, in qua non sit possibile nisi unum individuum, admitti etiam poterit alia, in qua non sint possibilia nisi decem individua ; si enim tota eti-

am *extensiva* perfectio speciei absorberi potest ab individuo unico, cur non poterit absorberi tota à decem; sequela autem est contra veram Philosophiam, sequeretur enim intra aliquam speciem posse dari numerum finitum maximum: ergo. Sed ais te astruendæ naturæ essentialiter individuæ fundamentum in eo habere, quod natura divina sit essentialiter individua. CONTRA est, quia par fundamentum afferam proponenda creatura determinatis individuis v. g. decem communicabili eó, quod natura divina non nisi determinatis personis communicari possit.

**XXVIII.** PROBATUR nunc etiam secunda pars antec: positum: XXVI. quod videlicet Authoritas PPrum suadeat Angelos defacto solō numerō multiplicari: nam

*L. 3. cont.* Basilius docet *Angelos omnes*, ut *appellatione unius*, sic & *Eun.* *L. 6. cont.* *naturæ esse omnino ejusdem*. Nyssenus ait *superiorum virtutum nomina non naturas alias inter se differentes signifi-*

*L. 2. in Jo. care.* Cyrillus Alex. conceptis terminis tradit *Angelos*, cùm sint ejusdem omnes speciei, in unam naturam colligari.

*L. 2. de volunt.* Similiter etiam Damascenus tenet unam naturam omnium Angelorum, sicut omnium hominum, sic enim habet: *Angeli & homines suam divisionem & distinctam habent hypostasin, et si ejusdem naturæ sint.* Bernardus cla-

*g. de Conf. rē afferit esse distinctos in personas.* Quin & D. Dyonisium

*4.* ejusdem fuisse mentis affirmant Maximus Martyr, & S. Athanasius, ille quidem, dum ait *Ousiam*, per quam Dyonisius dicebat Angelos differre non esse substantiam sed hypostasin tantum; iste vero, dum

*q. q. ad Antioch. 4.* dicit Dyonisium afferuisse Angelos ordinibus differre, &

*tamen esse ejusdem speciei, sicut & homines.* Respondebis PP. nomine naturæ intellexisse naturam genericam, in qua omnes convenient, quia continentur sub eodem

dem supremo genere intellectivi. CONTRA est, tum quia PP. *naturam* opponunt *hypostasi*, hypostasi autem seu individuo propriè opponitur natura specifica, tum quia aliqui PP. expressè meminerunt *speciei*, S. autem Basilius alicubi ait *in dignitate esse differentiam*, quæ differentia est purè moralis non essentialis. Tum quia à communi usu & modo loquendi oppidó discrepâssent, si nomen naturæ simpliciter prolatum pro genere, quæ est una pars naturæ, usurpâssent, sicut ab usitato modo loquendi quis discederet, si hominem & brutum eó, quod in genere animalis convenient, ejusdem esse naturæ asseveraret: ergo PP. non de natura incompletè & genericè sed specificè sumpta locuti fuisse censendi sunt. Accedit, quod & scriptura videatur nostræ opinioni patrocinari, nam Arch-Angelum Michaëlem dicit esse unum de *Principibus primis*, Raphaëlem unum ex septem, qui astant ante DEUM, idem est de Gabriele, ut dixi num. XXII.; atqui nisi omnes ejusdem essent speciei, non essent Arch-Angeli de primis, sed potius de ultimis, cum sint ex penultimo choro Angelorum: ergo. Deinde Michaël tanquam exercitus Dominici ductor & supremus Generalis primus vexillum erexerat adversus perduellem Luciferum: ergo verosimillimum est ipsum æqualem Lucifero fuisse, nè dici debeat, quod nullus ex superioribus sed ex infima solùm Hierarchia zelaverit pro DEI honore. Atqui Michaëlem utpote Arch-Angelum collocamus in infima, Luciferum vero secundum naturalia & gratiam vialem consideratum communis reponit in Hierarchia suprema: ergo Angeli infimæ & supremæ Hierarchiæ sunt in perfectione essentiali æquales & ejusdem speciei, Favet etiam

S. Ecclesia, quæ pro constitutis in agone sic orat :  
*suscipiat eam S. Michæl Arch-Angelus DEI, qui militiae  
 cælestis meruit principatum.* Hinc dum quidam PP. cum  
 Divo Thoma docent DEUM in conferendis gratiis  
 se accommodâsse perfectioni naturali Angelorum, illi  
 in opppsita sententia fuisse censendi sunt ; quamvis  
 non desint Scholastici, magni nominis, qui tenent  
 DEUM se accommodâsse perfectioni naturali majori  
 in accidentalibus, secus majori in essentialibus.

**XXIX.** OBIICIES Authoritatem gravissimam Doctoris An-  
 gelici docentis impossibile esse etiam fingere, quod  
 sint plures Angeli ejusdem infimæ speciei ; authorita-  
 tem item totius scholæ Angelicæ solam specificam  
 inter Angelos distinctionem agnoscentis, & item  
 Scholæ subtilis atque RRiorum partim specificam  
 partim numericam diversitatem Angelis attribuentis,  
 in quorum sententia optimè intelligitur, quomodo

*De Cœlest. Hier. s.* superiores substantia, ut loquitur Dyonisius, *sunt celstudi-*  
*ne graduum inter se differentes*, diversosque sacros Prin-  
 cipatus, & singulorum principatum distinctos ordi-  
 nes constituent. Respondeo : me propterea cautè  
 scripsisse probabile esse, quis enim eat inficias, tantum,  
 quantum numerò antecedente produxi, PPrum nu-  
 merum probabilitatem sufficientem opinioni alicui  
 posse conciliare ? cum quo optimè stat, contrariam  
 sententiam ob Authoritatem oppositam à magna pro-  
 babilitate meritò commendari. De Authoritate D.  
 Dyonisij, utri opinionum magis faveat, rem dubiam  
 esse, constat ex paulo ante dictis, & propterea cel-  
 situdo illa graduum, & distributio in plures principa-  
 tus, singulorūmque in diversos ordines, commodè  
 accipi potest vel de celstudine secundum dignitatem mo-  
 ralem,

alem, vel secundùm *accidentalia* Angelorum, in quantum v. g. uni perpetuó pro solo tamen DEI libitu dantur species universaliores præ altero citra omnem exigentiam essentialē & per se talem harum determinatē specierum. DICES: si omnes Angeli ejusdem sunt speciei infimæ, discerni inter se nequeunt; discerni autem inter se posse debent, alioquin nescire quis posset, cui quid secretum committeret vel commisisset; & quod inde chaos, quæ confusio totum ordinatissimæ Angelorum Reip. ordinem evertens? Respondeo discerni non posse à nobis, qui quidditativam & intuitivam eorum cognitionem non habemus, optimè verò discerni inter se posse à se ipsis intuitivè se se & perfectè cognoscentibus. Sanè nos neque inter duas albedines vel duo ova perfectè similia discernimus, utrum eorum sit ovum A, utrum ovum B, neque tamen rectè hīc inferas ea plus quam numerō inter se distare. Discernunt se porrò invicem Angeli tum penès diversa accidentia spiritualia, tum penès propriam cujusque individuationem perfecta intuitione cognitam. DICES item, ad pulchritudinem (quæ ex August. *est parium dispositiū congrua dispositio*) universi spectat, sicut rerum materialium sic spiritualium diversitas specifica. Respondeo ad pulchritudinem universi sufficit diversitas rerum omnium totius universi inter se comparatarum, non verò determinatē substantiarum pure spiritualium; quod verò res materiales specificè differant, exigit id varius hominum usus & necessitas, quæ ratio pro Angelis non pugnat. Et si ad congruentias (quæ non sunt evidentiæ probabilitatem oppositam enervantes) veniatur, dicam & ego ex Scoto decuisse singulos

los Angelos specie non differre, nè aliqua species Angelica tota moraliter per peccatum perierit, cùm PPres pro ratione, cur Verbum naturam humanam, non Angelicam assumpserit, afferant, quia species humana tota perierat, non item Angelica: dicam: congruisse omnes homines ejusdem esse speciei, nec dari aliud animal rationale natatile, aliud volatile: ergo & omnes Angelos. Dicam denique, multitudinem cum æqualitate plurimùm conferre ad perfectam amicitiam & animorum conjunctionem. Plures hac super re congruentiæ videri possunt apud gravissimum Doctorem Suarez, & alios passim.

**XXX.** OPPONES fundamentum scholæ Thomisticæ: principium individuationis est materia, multiplicitatis verò numericæ principium est quantitas; Angeli utroque carent: ergo sub eadem specie infima individualler seu numericè multiplicari non possunt. maj. prob. i. authoritate Aristotelis & D. Thomæ id tuentium. Secundó de materia sic: quia materia est primò per se & ex natura sua incommunicabilis alteri subiecto; sed quod est primum in aliquo genere, est causa & principium cæterorum: ergo cùm materia sit prima in ratione physicè incommunicabilis, est radix & principium omnium physicè incommunicabilium, atque adeo est principium individuationis. De quantitate verò sic: illud est principium multiplicationis numericæ, quod in sua essentia importat multitudinem numericam; sed quantitas dividens, cùm sit prima in genere divisibilium, importat in essentia sua multitudinem numericam: ergo. Respondeo *nego* maj. sed principium individuationis est cujúsque rei *entitas*, ut suppono ex metaphysicis, ubi hanc positionem stabilivi,

bilivi, & argumenta oppositorum pleniū dilui. RATIO autem ex ibidem dictis breviter est : quia individuum metaphysicè sumptum est esse *indivisum in se & divisum*<sup>1. P. q. 20.  
a. 4.</sup> à quolibet alio ultima divisione ex Divo Thoma : ergo id, per quod res est ita indivisa & divisa, est individuationis principium. Atqui per suammet entitatem quælibet res hoc habet, sicut enim per se ipsam est entitas seu ens, ita est etiam *una* seu indivisa in se, & est *aliquid* seu *aliud quid*, hoc est divisa ab alio, cùm *res, ens, unum, aliquid, & quæ* per famosam vocem REUBAU explicant Dialectici, convertuntur. Ad prob. I. Respondeo Aristotelem (cujus Authoritas in materia Theologica, in qua sæpius fædè hallucinatus est, admodum exigui est ponderis) & Divum Thomam in metaphysicis explicari, quòd loquantur de rebus materialibus, atque in his, & quidem solùm arguitivè, extrinsecè, & quoad nos tanquam quid notius (secus intrinsecè, formaliter & quoad rem ipsam) principium individuationis esse materiam putat signatam; non loquuntur verò de rebus immaterialibus, ut sunt Angeli; & sanè alioquin duæ animæ, si crearentur, quin earum corpora producerentur, vel duæ cognitiones ejusdem objecti, seu simul, si id fieri possit, seu successivè in eodem intellectu existentes, non forent solo numero diversæ. Quidquid tamen de Authoritate D. Th. à qua aliorum PPrum Authoritate abducti, in præsens discessimus, sit: Respondeo ad secundam Prob. de materia: individuum seu incommunicabilem esse rem per id per quod est incommunicabilis alteri subjecto *logico & prædicationis*, hoc autem est res per suammet entitatem, non verò per quod est incommunicabilis alteri subjecto *physico in-*  
*hæsio-*

hæsionis aut informationis, uti est materia. Patet ex instantiis immediate productis. Ad id de quantitate Respondeo eam probare de multitudine numerica, ut hæc est species quantitatis seu de numero prædicamentali, quem concedo haberi per quantitatem discretam seu illam, *cujus partes non copulantur ad eundem terminum communem in re quanta*; non probat verò de numero transcendentali & communi etiam rebus spiritualibus, de quo solo hic loquimur.

**XXXI.** PRO ALIS adhuc esto NOTUM PRIMUM. Ex dictis constat, quomodò Angelis convenire quóque possit definitio individui Logicè sumpti à Porphyrio data, videlicet individuum esse id, *cujus omnes simul proprietates alteri convenire non possunt*. Nam prædicatum individuale, per quod discerni inter se Angelos posse dixi ab intuitivè eos videntibus, unius nequit convenire alteri. NOTUM SECUNDUM, datò etiam materiam quantitate signatam esse individuationis & numericæ multiplicitatis principium, propriùs adhuc Angeli ad multiplicationem quām immultiplicationem numericam accederent, tametsi namque S. August. doceat, **12. Conf. 7.** materiam esse prope nihil, Angelos autem prope DEUM, propiores tamen sunt materiæ & quantitati, à qua utrāque finitè, quām DEO, à quo infinitè distant, atque adeò propiores etiam multiplicationi individuali à materia & quantitate oriundæ, quām immultiplicationi soli DEO propriæ. NOTUM TERTIUM: Ex diversis ministeriis Angelorum non recte argui specificam ipsorum inter se diversitatem, alioquin sequitur Angelum præsidentem plantis specie differre ab Angelo Custode privati hominis, cùm tamen communis contra Thomistas teneat Angelos infimi chorii esse

esse ejusdem infimæ speciei. **NOTUM QUARTUM:** Individuatio Angelica intra eandem infimam speciem est tamen perfectior individuatione humana perfectione petibili ex ipsa specie, sicut hac ratione individuatio humana est perfectior individuatione brutorum. **NOTUM QUINTUM,** quia individuatio materialiter se habet ad speciem & in consideratione metaphysica accidentaliter, ideo individuatio fundatur in materialitate non quidem sumpta pro aliquo corporeo, sed materialitate accepta pro eo, quod non facit dissimilitudinem individuorum essentialis, seu quod non facit unum ab alio notabiliter differre, unumque præ-alio peculiariter spectabile. **NOTUM SEXTUM:** Si velis, quod omnis distinctio essentialis peti debeat vel à materia vel à forma, nondum inferre poteris distinctionem Angelorum inter se essentialis, quia eorum distinctio nec à materia physica petitur, nec à forma, sed ab individuatione, quæ, quamvis ad esse substantiale re ipsa pertineat, est tamen metaphysicè accidentalis. Vel dici potest distinctionem petitam à forma intellectiva specie distincta esse specificam & essentialis, secus petitam à forma intellectiva solo numerò distincta. Vel demum negari potest naturas Angelicas esse formas, cum non sint ad ullam materiam ordinatae, sed sunt substantiae intellectivæ. **NOTUM SEPTIMUM:** Ex omnibus his patet, in rebus creatis non posse dari speciem subiectibilem, sed esse hoc ipso respectu suorum individuorum possibilium prædicabilem, ut rectè Logici docent.

## THESES VIII.

*Angeli ad cognoscenda objecta à se distincta defatò in-*  
*digent speciebus, quarum plerisque DEUS ipsis in-*  
*fundit, & species quidem earum rerum, quas sta-*  
*tim ac creantur, ab Angelis sciri decet, ipso mox*  
*instanti suæ creationis.*

xxxii. PRÆNOTO: Certum esse Angelos ad laudandum  
 DEUM conditos, quod finè intellectu haberi  
 non potest, intellectu pollere, & ideo intelligentias ap-  
 pellarī, hancque veritatem *non fide*, utor verbis D.  
 Melliflui, *non opinione*, sed intellectu capimus ( host est per  
 conclusionem Theologicam rescimus ) *quia non possunt*  
*hujus ( nempe intellectū ) expertes, & DEI simul par-*  
*ticipes esse.* Possetque ipsorum intellectivitas ex D.  
 Thoma loco & argumento in - de DEO num. C XI.  
 indicatis demonstrari ex Angelorum immaterialitate,  
 quod tamen brevitatis studiō repetere hic prætermit-  
 to. Angeli porró suam intelligendi vim exercent per  
 intellectiōnēm à sua substantia distinctam, ut docet  
 Eodem lib. S. Bern. cùm ait : *unum tui & Angeli optimum ratio est,*  
*DEUS verò sui non aliquid optimum habet, unum optimum*  
*totares, ubi per rationem intelligere eum arbitror actuā-*  
*lem cognitionem, non verò potentiam intellectivam,*  
*hanc enim postea videtur supponere ab anima indi-*  
*stinctam, sicut & cæteras potentias, dum ait : anima*  
*videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus.* Et cer-  
 tum quidem est intellectum cum omnibus suis actibus  
 identificari non posse, tum quia nequit identificari  
 cum beatitudine sua formali, alioquin hæc non foret  
 super-

supernaturalis & indebitum donum, tum quia hoc ipso esset infinita ipsius intelligendi vis, cùm enim intellectio sit *actuale exercitium*, seu ultima ipsa *actualitas actu faciens*, quidquid facere potest, ut Philosophi tradunt ex hoc capite de ente modali, & Angelus possit plura & plura perfectiori ac perfectiori modō syncatecorematicè in infinitum cognoscere, actu illa omnia & perfectissimè cognosceret, atque esset in vi intelligendi infinitus, sicut propterea virtus intelligendi divina est infinita, vel sicut virtus productiva aliorum & aliorum effectuum in infinitum esset infinita, si actu omnes produceret. Quod verò Angelus nè quidem cum una intellectione v. g. sui ipsius identificetur, hæc est RATIO: Quia intellectio ex conceptu suo est *actus vitalis*, de cuius ratione essentiali est esse ab *intrinseco*: ergo debet esse ab intrinseco vel vi sua & à se existens, vel vi productionis aut emanationis, si sit actio grammaticalis. Sed à se non existit, hoc enim proprium est actibus divinis: ergo existit vi productionis vel realis emanationis à substantia vivente. Actus autem productus vel realiter emanatus est distinctus à substantia producente: ergo. Atque hinc sicut quivis intellectus creatus & Angelicus est quidem per se ipsum intellectivus, non tamen est se ipso intelligens, ad hoc enim indiget specie expressa seu actuali intellectione producta ab intellectu ut adiuto per objectum seu se ipso seu mediante specie impressa concurrens: quid autem species impressa sit, de qua sola thesis loquitur, suppono notum ex Animaistica & ex dictis in- de DEO. Itaque

PROBATUR Thesis prima pars: intellectus humanus XXXIII. indiget speciebus ad cognoscendum: ergo & Angelicus.

licus. Ante: passim admittitur tum à pari ex sensibus externis, pro quibus necessariæ sunt species, tum quia, quæ vidimus vel audivimus olim, hodie desideramus, de quibus autem nihil unquam scivimus, illorum nulla, nos incessit cupidus, cuius diversitatis ratio alia non est, nisi quod illorum species habemus, non istorum. Tum quia cum intellectus intelligat actu distincto seu cognitione producta, & ex se sit indifferens ad cognitionem hanc vel illam, hujus illiusve objecti, necesse habet ab aliquo determinari ad hanc cognitionem præ illa; sed raro ab objecto ipso, cùm hoc abesse vel improportionatum esse frequens eventus sit: ergo à vicaria objecti specie. Tum quia intellectus objectum quodvis quantumcunque perfectum cognoscere potest; hoc autem cùm multorum objectorum perfectionem non contineat, præstare non posset: ergo adjuvari habet ab objecto, ordinariè non per se ipsum sed per speciem concurrente, ut ita à potentia & objecto paratur notitia, & intentionalis repræsentatio ac perfecta objecti imago, de cuius ratione est procedere à suo prototypo, producatur. Conseq. rectè inferri videtur, tum quia si tenet illatio à sensu ad intellectum humanum, cur non tenebit illatio ab intellectu humano ad Angelicum, inter quos minor est, quām inter sensum & intellectum distantia? tum quia pleraque rationes militantes pro necessitate specierum ex parte intellectus humani militant pro earundem necessitate ex parte intellectus Angelici, nam & iste intelligit intellectione producta, estque indifferens ad hanc vel illam cognitionem, atque adeo necesse habet ab alio determinari, neque se solo continet perfectiones omnium

nium objectorum, quæ cognoscere potest, cùm sit pariter limitatæ virtutis; cognitio intellectus Angelici est repræsentatio & imago intentionalis objecti &c. ergò. Dixi in hac parte primò *ad cognoscenda objecta à se distincta*, quia contra paucos, quorum sententiae obiter memini in de DEO num: CI. communis tenet Angelum ad cognoscendum se ipsum non indigere specie. RATIO est, quia species ex indigentia objecti necessariæ requiruntur solum tunc, cùm est vel improportionatum, ut sunt materialia, vel distans; Angelus autem nec est materialis & improportionatus respectu sui, nec à se distat: ergò. Dux secundò: *defactò*, quia quamvis nonnulli contra plures contendant possibilem esse Angelum, qui sit sibi species impressa (non quidem omnium, nè sit infinitus ut DEUS) sed aliquorum objectorum à se distinctorum; id tamen defactò Angelo tribui non debet, tum quia nulla tantæ perfectionis astraendæ profertur ratio convincens, tum quia ratio ducta à pari de intellectu humano, probat id Angelico æquè denegandum, ac negetur defactò intellectui humano. Transeo alias rationes, quæ ipsam talis Angeli possibilitatem impugnant, & videri possunt apud Suarez.

PROBATUR secunda pars Thesis, quòd nempè plerasque species DEUS infundat. Dico plerasque, quia verosimillimum est, quòd species reflexas cognitionum præhabitarum ipse sibi Angelus fabricet, respectu harum habeat intellectum agentem, sicut enim experimentalis scientia Christo non fuit comproducta, ità videntur non esse Angelis concreatae species rememorativæ cognitionum præhabitarum, sed sicut à nobis ità ab Angelis per intellectum agentem for-

Q. 55. a.  
2. o.

matæ : hōc notatō dicta secunda pars probatur pri-  
mō authoritate Divi Thomæ expressè docentis An-  
gelos à DEO species rerum cognitarum accepisse simul cum  
intellectuali natura. Secundò ratione : quia species illæ  
non emanant à substantia Angeli, tum quod Angelus  
omnium objectorum perfectiones non contineat, tum  
quod indifferens sit ad habendas has vel illas species,  
sic enim, si alius mundus conditus fuisset, Angelus  
connaturaliter alias quoque species habuisset; Neque  
species illæ producuntur ab objectis, tum quod mul-  
ta sint improportionata, ut materialia, quæ neque-  
unt producere speciem spiritualem, tum quod pro-  
portionata, ut sunt spiritualia, possint esse distantia,  
& agere in distans non valeant, Angelus autem in-  
dependenter ab objectorum præsentia debeat esse in-  
structus speciebus ad cognoscendum, posséque cog-  
noscere non præsentia solum sed & absentia. Ne-  
que etiam Angelus ipse eas sibi species fabricare po-  
test, quia ut eas fabricaret, deberet determinari ab  
objecto; sed ab hoc determinari non posset, quia ut  
determinaretur, deberet objectum præcognoscere, à  
non præcognito enim non posset determinari; sed si  
præcognoscit objectum, jam supponitur instructus  
specie, nec habet neceſſe eam primùm fabricare:  
ergo. Dices species materialis, quæ se habet instar  
exemplaris, potest determinare intellectum agentem,  
qui se habet instar pictoris ad formandam speciem  
impressam spiritualem in intellectu passibili instar ta-  
bulæ rasæ se habente, etsi intellectus ante formatio-  
nem speciei spiritualis tanquam principii cognitionis  
non cognoscat illud objectum: ergo etiam objectum  
materiale potest determinare intellectum Angeli ad  
for-

formandam sui speciem spiritualem, sicut v. g. positio termini determinat fundamentum ad relationem nihil mittendo per medium. Respondeo *nego conseq-*  
*Dispar:* est, quia cùm anima cum corpore unum totum constitut, recipit in tensorio speciem & materialem & simul materialiter mediante potentia materiali eam percipit, & ideo potest sibi fabricare speciem spiritualem ad imitationem materialis: At verò Angelus corpore destitutus nec recipit, nec percipit materialiter objectum materiale: ergò ut ab illo posset determinari, deberet illud percipere spiritualiter: ergò præcognosceret illud ante fabricatam speciem: ergò præhaberet speciem, nec opus esset fabricare illam. Paritas de relatione nimium probat; probat enim, quòd sicut positō terminō resultat necessariò & ad quamvis distantiam & in quovis fundamento relatio v. g. coëxistentiæ, ità objectum materiale quodvis & ubique & necessariò deberet Angelum ad sui speciem formandam determinare; Item, quòd sicut termino essentialis est terminabilitas, ità cuique objecto etiam supernaturali, etiam arcano cordis essentialiter insit determinabilitas intellectus Angelici ad formandam sui speciem.

CONSULTÒ hic non utor aliorum ratione, qui ex XXXV. eo capite species ab objectis extraneis acceptas impugnant, quia nullum agens creatum potest illabi mentibus Angelorum vel hominum immutando intrinsecè intellectum vel voluntatem. Puto siquidem hanc rationem minùs esse efficacem; nam licet sine difficultate concedam agens extrinsecum non posse illabi menti Angelicæ vel humanæ ità, ut faciat unum *compositum* substantiale cum illa, cùm se non habeat

ut actus & potentia ; licet item admittam nec ita illabi , ut unum faciat *suppositum*, cum unio hypostatica duorum entium creatorum ad minus naturaliter repugnet. Quia nihilominus DEO passim attribuitur illapsus operationis in mentem creatam , idque eò, quod DEUS vi immensitatis suæ ita sit extra mentem creatam, ut sit simul intra illam per essentiam, potentiam & præsentiam, atque adeò sit agens extrinsecum ita , ut simul sit intrinsecum ; non video, cur idem Angelo denegetur cum debita limitatione ; quatenus videlicet, sicut DEUS vi immensitatis junctæ supremo dominio illabi potest cum universalitate operandi , quocunque voluerit, & in ordine ad quascunque etiam arcanissimas cognitiones , quæ eum latere non possunt, ita Angelus vi ubicationis spiritualis intra mentem alterius existere possit, & illabi illi cum particularitate operandi v. g. principiandi præcisè cognitionem de se ipso. Atque secundum hoc intelligendi sunt PP. illapsum hunc negantes , ut August. dum ait : *Solam TRINITATEM* mentibus illabi.

*De Eccl. b*i*. S. Bern. dum dicit : nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari.* Et paulò post : *sequestretur ergò prærogativa hæc summo & incircumscripto spiritui.* Et *Serm. 5. in Cant.* alibi de Angelo sic scribit : *inest Angelus suggestus bona, non ingerens, & post pauca : Angelus ergò cum anima, DEUS in anima;* nam negant solum creaturis illapsum illum , quo efficaciter prædominantur aliis creaturis liberis, earumque mentem, quocunque voluerint, invertant, hic enim proprius est solius DEI : Alium verò illapsum stantem in aliqua solum operatione unius in alterum etiam creatis spiritibus convenire posse non est abs mente PPrum alienum , ut colligitur

L. 11. Mo-  
ral. 20.

tur ex S. Greg. docente dæmonem, si suggestioni ejus in principio non resistatur, repente totum ad interiora cordis illabi; quæ quidem res non peragitur per solam potentiam locomotivam & unius Angeli ad alterius locum adductivam, sed per indistantiam unius ab alio simul acceptam cum vi concurrendi ad producendum cognitionis principium. Hæc incidenter inserere placuit, ut intelligatur, quo sensu verum sit illud, quod per modum principii apud nonnullos Theologos invaluit; *Solum DEUM hominum mentibus & Angelorum posse illabi.*

PROBATUR jam etiam tertia pars Thesis propositæ: possibile erat species rerum, quas Angelum initio statim nosse decuit, Angelo concreari, erantque præterea hæ species naturæ Angelicæ debitæ: ergo initio statim illi concreatæ sunt. Prima antec: pars constat, neque enim repugnantia adferri potest, maximè cùm finitæ sint, non infinitæ, atque adeò capacitatem Angelicæ naturæ non excedant. Secunda pars prob. quia species rerum, quas sciri ab Angelo decuit, exigebat Angelus, nè ignorantia rerum sciri debitarum laboraret: ergo Angelo debebuntur; parare autem sibi eas primò momentò non potuit: ergo exigebat sibi eas concreari à DEO, qui denegare non solet perfectiones naturales alicui debitas & convenientes. Rursus DEUS homini infudit notitiam multarum rerum initio statim creationis: ergo multò ampliorem Angelis homine perfectioribus, quod sinè speciebus fieri non poterat. Antec: constat ex scriptura sic loquente: *disciplinâ intellectus replevit illos; creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum,* quibüs verbis comprehendi videtur notitia etiam

quarundem supernaturalium rerum. DENIQUE de Angelis ipsis id exprimere scriptura videtur, ait enim sub nomine Cherub probabiliter de Luciferō loquens:

Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiā, & perfectus de-*  
*V. 15. core, & paulò infrā : perfectus in viis tuis à die conditio-*  
*nis tuae, donec inventa est iniquitas in te : ergò à die con-*  
*ditionis seu creationis suae Angelus erat plenus sapien-*  
*tia & in viis suis perfectus, atque adeo & specie-*  
*bū ad hoc necessariis instructus. Non parvum verò*

L. 2. de Gen. ad Lit. 18. & l. 4. c. 32 momentum huic opinioni addit August. docens crea- turas corporeas priùs factas esse in mente & cogni-  
tione Angelorum, quām fuerint productæ in se ipsis:  
ergò priùs Angeli creaturarum in se habebant spe-  
cies, quām eas sibi ex determinatione objectorum  
parare potuissent. Neque obstat, quòd S. Bernardus

Serm. 5. dicat, quòd *Angeli sola sua vivacitate & efficacitate na-*  
*tura sufficiant apprehendere summa & intima penetrare.* Nam  
id non sic capiendum est, quasi sine specierum admī-  
niculo se solis cognoscere possent omnia ad statum  
suum naturalem pertinentia, hoc enim in secunda  
Thesis parte improbatum est; sed quod non indige-  
ant speciebus alienis & similitudinibus corporeis, si-  
cut nos homines, cùm species proprias à die condi-  
tionis suae concreatas sibi habeant; prout ipsemēt S.

Serm. 6. P. alibi se explicat, dum sic loquitur: *Miseranda hu-*  
*manarum conditio animarum, quæ - - - nulla perspicacitate*  
*semetipſas sicut sunt, nōſſe aut cogitare ſufficiunt, ſed egent*  
*omnino figuris & anigmatibus quibusdam corporearum simili-*  
*tudinum, quibūs ſanè anigmatibus Angelī non egent.*

XXXVII. Ut RELIQUÆ huc pertinentes difficultates brevi-  
būs expediantur, notari possunt ſequentia. Primò illa-  
rum ſolum rerum species Angelis concreari, quas ſta-  
tim

tim sciri ab Angelis oportet & decens est, ut in thesi expressum est; inter has autem res fuisse nonnulla etiam supernaturalia, insinuavi num. priore, quædam item futura, ut & possibilia iis rebus accenserit postea dicetur. Certum verò videtur Angelo concreatas ab initio species fuisse rerum omnium existentium ad mundi integritatem spectantium, & quidem etiam rerum ab Angelis maximè distantium, quas proinde primò statim instanti nōsse potuerunt, neque ad hoc objectorum præsentia indiguisse, & ideo dum Job: 1.  
Matth. 12. in scriptura dæmon dicitur circuisse terram & perambulâsse eam, & alibi perambulâsse loca arida, & non inventa requie revertisse ad pristinam domum, compertò verò scopis mundatam evocâsse socios se nequiores, non hoc accipi debet, quasi absens hæc rescire non potuisset; sed vel quod absque ulla necessitate pro solo suo libitu circuiérat, vel certè scriptura loquitur accommodatè ad modum agendi humanum. Secundò probabile est species objectorum successivè existentium, & quæ statim Angelus nōsse non debet, successivè Angelis à DEO infundi, quia alioquin Angelis debuerant infundi species infinitæ, cùm per totam æternitatem alia & alia in infinitum objecta sint cognituri; neque hoc plenitudini sapientiæ à die conditionis suæ Angelis omnipotente DEI Bonitate communicatae derogat, ignorantia enim negativa seu carentia cognitionis & alicujus ad principiandam cognitionem requisiti, Angelis tamen indebiti cum creata sapientiæ plenitudine optimè cohæret. Tertiò Angelum non necessariò omnia objecta actu nōsse, vel omnia æquè clarè, quorum species habet, sed posse jam hæc jam illa specie impressâ uti ad formandam

expressam, quin & specie universalis potest jam adæquatè ad omnia, jam inadæquatè ad aliqua objecta, quorum illa species repræsentativa est, uti, quia sicut de homine ob virtutis noscituræ limitationem & finitudinem, ità eandem ob causam de Angelis verum est: *pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Quariò Angelum tamen non posse cessare ab omni penitus cognitione, tum quia nullum vivens in statu suo perfecto existens (fortè enim in statu imperfecto positum, ut infantes primò vitæ momentō, vel homines spasmō correpti id possunt) potest esse sine omni operatione vitali; hoc ipso enim esset in statu quodam mortis & imperfecto; omnis autem operatio vitalis in ente purè spirituali incipit à cognitione. Tum quia Angelus non cessaret ab omni cognitione necessariò, cum nullum detur hujus necessitatis in natura principium; nec liberè, quia liberè volendo non cognoscere hoc ipsis cognosceret, debet enim cognoscere, ut possit velle non cognoscere. Tum quia nihil aliud agere posset, nec loco quidem se mouere, ut enim quid liberè agat, cognoscere debet; atque hinc voluntas imperare non potest, nè de ulla re Angelus cogitet, hoc ipsum enim imperium cognoscere deberet, alias perinde se imperium haberet, ac si non existeret, si nec in Angeli quidem apprehensione existeret.



## THESES IX.

*Simpliciter repugnat produci speciem universalissimam omnium possibilium distincte & clare in actu primo repræsentativam.*

**P**RÆNOTO : Speciem universalem dici illam, quæ **xxxviii.** cùm in entitate sua indivisibilis sit, plurium tamen objectorum est repræsentativa, atque adeò id facere simul potens est, quod facerent plures species signatim, & sparsam per inferiores species perfectionem, ipsa in se collectam tenet, sicut alia entia perfectiora collectas in se continent perfectiones, quæ sparsæ per entia minus perfecta reperiuntur. Possibilitas hujusmodi specierum universalium jam passim admittitur. RATIO autem est, quia si una species expressa id facere potest, quod aliàs faciunt duæ vel plures, ut vel maximè elucet in DEO unico omnia actu cognoscente, cur idem præstare non poterit impressa ? si unus indivisibilis actus judicii duas realiter distinctas simplices apprehensiones repræsentat, unicus voluntatis actus ex pluribus motivis aliàs actus plurificantibus concipiatur, si unicus sensus communis repræsentat omnia, quæ repræsentant sensus particulares, non est, cur una species impressa repræsentare nequeat plura objecta aliàs per plures species repræsentata, quæ proinde species una erit & simplex entitate, multiplex verò virtute. Quomodo tamen species universalis, cùm nec sit genus nec species, nec causa particularium, idem præstare possit, quod præstant particulares, varii varie explicant, optimè

- Q. 55. 4.* S. Thom. hic ex eo id deducit à priori, quia cùm species sit naturalis quædam participatio & similitudo essentiæ divinæ, & species universalior sit participatio perfectior, idcirco habet eminentiam quædam & excellentiam supra species particulares, nam ex hoc, verbis S. Thomæ utor, sunt in rebus aliqua superiora, quia sunt uni primo, quod est DEUS, propinquiora & similiora; in DEO autem tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in uno, scilicet in essentia divina, per quam DEUS omnia cognoscit. Et inferiùs eandem rem exemplò declarat, ubi ait: Si sit excellens, potest idem accipi ut propria ratio & similitudo diversorum, sicut in homine est universalis prudentia, quantum ad omnes actus virtutum, & potest accipi ut propria ratio & similitudo particularis prudentiæ, quæ est in Leone ad actus magnanimitatis, & ejus, quæ est in vulpe ad actus cautelæ. Quòd etiam facit aliud
- Q. 5. 7. 4.* exemplum alibi à S. Thoma propositum; sensus communis, qui est superior, quæam sensus proprius, licet sit unica potentia, omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, & quædam alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi & dulcis. Ex quibus appareat, quòd sicut prudentia universalis in homine, licet nec sit genus nec species, nec causa quasi prudentiæ, quæ est in Leone & vulpe, quia tamen est quædam excellentia supra horum prudentiam, idem ipsa sola potest, quod illæ duæ seorsim; & item sicut sensus communis, licet nec sit species nec genus, nec causa sensuum extenorū, quia tamen est eminentior illis, id ipse distinctè cognoscit, quod sigillatim sensus externi, & præterea aliud quid: ita pariter species universalis id potest, quod plures particulares propter excellentiam in genere similitudinis ad illas,

illas, licet nec sit causa nec species, nec genus eorum; ideo autem est excellentia super illas, quia in se colligit perfectiones, quae per plures species sunt sparsæ. Porro Angelis, non quidem secundum natum specificam, hoc enim suprà negatum est, sed secundum perfectionem moralem dignitatis perfectoris universaliores dari species communis est post D. Dyonisium & S. Thomam doctrina, cui reverenter subscribo. Verum de specie universalissima

PROBATUR Thesis: Repugnat ex parte rerum existere infinitum categorematicum creatum; species universalissima esset tale infinitum: ergo repugnat eam ex parte rerum existere. Maj. suppono ex Philosophia, tum quia tale infinitum infinities distaret ab ente infinito nempe DEO, quod autem infinities ab infinito distat, non est infinitum, sed finitum. Tum quia creatum idem sonat ac limitatum, infinitum autem idem ac sine fine, sine omni limite, & proinde infinitum creatum manifestam fert contradictionem terminorum. Neque juvat dicere, quod defactò existant infinitæ negationes, item in mente DEI omnium existat possibilium creaturarum collectio, quae est infinita: ergo etiam possunt existere à parte rei res positivæ infinitæ. Utrumque quippe hoc abundè evacuatur in Philosophia, & ut obiter aliquid dicam, primum non subsistit, quia vel procedit de negationibus passivis? & haec nihil sunt, atque adeò dicere, quod dentur infinitæ negationes, est dicere, quod nihil seu nullum infinitum detur creatum. Vel procedit de negationibus activis? & haec cum identificantur rebus positivis, tot sunt, quot sunt res positivæ, haec autem creatæ sunt finitæ, una

autem negatio activa est infinita, sed est ipsum decretum DEI has determinatè & non plures volentis creatureas ponere. Neque stat secundum, quia multa possunt simul esse in mente DEI v. g. 24. horæ, amor & odium efficax respectu ejusdem objecti, ut & impossibilia, quin tamen possint poni à parte rei; sic data etiam possibilitate infiniti categorematici, si tamen DEUS concipiatur decretum de non producendis nisi rebus finitis, existent adhuc in mente DEI res possibles infinitæ, quin in sensu composito illius decreti ex parte rerum poni possint. Pro uberiori hujus rei notitia consuli potest Philosophia. Probatur itaque prima min: species universalissima æquivaleret speciebus particularibus infinitis ità, ut perfectè earum in se perfectionem complectetur, id enim totum & ea claritate præstaret, quod & qua claritate omnes particulares atque adeò infinitæ particulares præstare possent, sicut species universalis æquivalens duabus particularibus, totum id & pari perfectione præstat, quòd duæ particulares: ergò esset categoretice infinita. Antec: est suppositum quæstionis præsentis, alioquin enim absolute universalissima non esset, si omnibus possibilibus speciebus cum perfecto earum in se complexu & continentia non æquivaleret, sed tantum universalissima respectivè ad species existentes, qualem defactò plerumque ponunt in Angelo omnium supremo. Conseq. autem rectè sequitur, sic enim si calor aliquis existeret, qui æquè intense calefaceret, ac calores distincti infiniti, foret infinitus, quia nempe ità his æquivaleret, ut perfectè vim calefaciendi horum contineret. Sic meritum Christi est infinitum, quia infinitorum in se continet vim

vim meritorum. Sic omnipotentia, quia perfectè in se complectitur virtutem infinitarum potentiarum, est infinita: idem ergò ob eandem rationem de specie universalissima teneri debet.

OBIICES : Talis species foret solùm altioris ordinis, sicut est v. g. homo inadæquabilis à brutis quantumvis infinitis, non foret verò infinita, sicut neque est homo propter excessum supra bruta : ergò. Respondeo nego antec: alioquin enim etiam omnipotentia vel meritum Christi foret præcisè altioris ordinis supra alias potentias & merita. Dispar: de homine est, quia homo excedit res se inferiores *excessu indivisibili* absque perfecta continentia perfectionum brutis in infinitum multiplicatis propriarum, nam non continet visum aquilæ à longè prædam etiam minimam prospicientis, non fortitudinem leonis &c. quamvis possit aliquid & genere & ordine nobilius, quām sint omnes brutorum perfectiones, videlicet ratiocinari. At verò species universalissima omnium specierum possibilium complectetur perfectionem, sicut species universalis æquivalens duabus speciebus particularibus perfectè harum perfectionem in se complectitur; jam autem *ubi pluralitas numeralis conclu-* In 2. Dis-  
*dit perfectionem majorem, ibi pluralitas infinita arguit perfe-* 3. q. 10.  
*ctionem infinitam*, ut rectè Scotus. DICES : Species im-  
pressa DEI, de qua in - de DEO à num. CI. clarè re-  
præsentat DEUM objectum infinitum, estque perfec-  
tior speciebus etiam infinitis rerum creatarum re-  
præsentativis, neque tamen propterea est infinita,  
sed altioris solùm ordinis : ergò idem est de specie  
universalissima omnium rerum creatarum repræsenta-  
tiva. Respondeo nego conseq. Disp. est : quia species

impressa DEI taliter sub una tendentia indivisibili & finita est repræsentativa DEI, ut non æquivaleat infinitis speciebus cum perfecto earum in se complexu & continentia, nequit enim actu repræsentare res infinitas, quas repræsentarent species infinitæ; quamvis repræsentet aliquid nobilius, quodque creaturæ rationali cognoscere est melius, & rationalis appetitū magis expletivum, quam esset infinitas res cognoscere, ad eum ferè modum, quo paulò ante dixi de ratiocinio hominis. Econtra species universalissima ità æquivaleret infinitis speciebus, ut eas perfectè etiam in se contineret, sicut omnipotentia omnes alias potentias eminenter in se concludit; unde hæc species crescit arithmeticè ad incrementum objectorum, sicut arithmeticō numerō crescent species objectorum particularium, tametsi species impressa DEI crescat solùm geometricè, quia nempe species universalissima tendit in omnia objecta possibilia sub tendentiis æquivalenter ità diversis, ut infinitarum species particularium perfectiones in se contineat; species verò impressa DEI tendit in DEUM sub una tendentia, ità ut non æquivaleat infinitis speciebus repræsentativis rerum omnium creatarum cum perfecta earum in se continentia.

XLI.

PRO RELIQUIS esto NOTATUM Primum: eadem est ratio, cur substantia ab infinitis accidentibus inadæquabilis non sit infinita, sed altioris solùm ordinis: cur item materia prima alias & alias in infinitum singularematicè formas potens recipere, maneat tamen finita; quia nimur nec substantia perfectè continet perfectionem accidentium; ità ut quidquid hæc possunt, possit præstare & ipsa, nec materia una infi-

infinitarum materiarum complectitur perfectiones. Taceo, quod materia ut sit proxime receptiva formarum, indigeat concursu alterius agentis ad has vel illas formas determinantis, cui proinde soli & non materiae sincategorematica formarum infinitas respondebit. *Notum secundum*: Intellectus Angelicus elicit per totam æternitatem alias & alias syncategorematicè in infinitum cognitiones, quia tamen eas non continet in actu completo, sed solum inchoatè, inadæquatè, atque ad eliciendam proximè & immedia-  
tè cognitionem compleri debet per speciem sub formalitate expressivi objectorum concurrentem, idcirco ipse non infinitus est, sed finitus, maximè cum prædicatum vitalitatis, cuius titulò intellectus concurrit, sit finitum. Econtra species universalissima actu & completè contineret infinitarum specierum perfectio-  
nes. *Notum tertium*: ex ijsdem fundamentis rejicitur pariter possilitas cognitionis creatæ, quâ clarè & distinctè cognoscuntur omnia possibilia, atque hinc verius esse existimo, quod licet Christus Dominus sit caput & Dominus omnium creaturarum, non videat tamen actu omnia per totam æternitatem futura v. g. omnes actus intellectus & voluntatis à Beatis successivè per totam æternitatem eliciendos, sed quod illa omnia videat solum habitu, ita videlicet, ut actu videat in VERBO omnia ad usque judicii diem futura, post hunc verò futura videat habitu, ita nempe, ut quamcunque collectionem finitam non futurorum solum, sed & possibilium petit cognoscere, ea sibi in VERBO manifestetur. DICES cum Viro quodam do-  
cto: ex pluralitate objectorum non bene infertur major excellentia cognitionis, quia perfectior est no-  
titia,

titia, qua Angelus noscit unitatem, quâm quâ bos videt totam sylvam. Respondeo : Si cætera sint patria, optimè inferri; nam quia Angelus superior unica cognitione cognoscit æquè clare plura objecta, ac Angelus inferior pluribus, rectè infertur excellentiæ majoritas in cognitione superioris præ cognitione inferioris, & similiter si unus Angelus integrum sylvam cognoscens pari claritate singulas ejus arbores distingueret, ac alter Angelus unicam tantum arborem noscat.

## THESES X.

*Angelus nequit naturaliter & citra revelationem aut specialem illustrationem alieni cordis arcana altero invito cognoscere, idque provenit ex ipsa rei natura & non præcisè à decreto DEI liberè impudente.*

**XLI.** **P**RÆNOTO : Circa Angelicæ cognitionis objectum certum videtur primò extra latitudinem illius esse res in substantia supernaturales, & has proinde naturaliter ab Angelo clarè & distinctè cognosci nequaquam posse. RATIO est, quia qualis est rei entitas, talis est & cognoscibilitas, naturalis vel supernaturalis, materialis vel spiritualis : ergò sicut cognoscibilitas spiritualis non cadit sub perceptionem materiale, ità supernaturalis non cadit sub cognitionem naturalem. Unde quamvis Angelus cognoscendo omnipotentiam confusè cognoscat multa super naturam esse possilia, quin & nonnulla fieri posse determini-

terminatè cognoscat nempe supernaturalia *supernaturalitate philosophica*, seu talia, quæ fiunt dependenter à decreto *dispensationis* in legibus naturæ, ut : nè ignis calefaciat, hæc enim non sunt absolutè & in substantia supernaturalia, sed possunt fieri per puram negationem divini concursūs ; nullum tamen supernaturalē *Theologica* seu tale, quod supponit decretum *elevationis* ad DEI amicitiam & statum supernaturalem determinatè, clare & distinctè cognoscit, ut est unio hypostatica, conservatio accidentium in Eucharistia sive subiecto &c. & ideo Dæmones non nisi conjecturando Christum sciebant esse Filium DEI, ut docet S. Thom. in 3. p. CERTUM est secundò, ens naturale existens esse objectum intellectui Angelico proportionatum, cùm enim quodvis ens, ut DEUS hoc pacto glorificetur, cognosci petat, ens autem naturale habeat cognoscibilitatem naturalem, naturali intellectui, quem naturæ ordine non excedit, obijci potest ; & siquidem cognoscibilitas entis existentis vim intellectivam Angeli intra naturæ ordinem non excedat, ab Angelo etiam comprehendi potest ; sic defacto Angelus se ipsum, resque inferiores comprehensivè cognoscit ; si tamen specifica naturalium diversitas inter Angelos datur, inferior nequibit comprehendere naturam superioris, cùm superior ut entitate sic cognoscibilitate excedat inferiorem. Probabile nihilominus videtur, quod quidam propugnant, ab Angelo inferiori de possibili posse naturaliter *naturalitate citra elevationem* comprehendi superiorē, sic videlicet, ut comprehensio illa sit inferiori indebita quidem, nec tamen supernaturalis. RATIO est : quia cognitio inferioris licet non entitative

tivè & in esse physico, attamen intentionaliter & in esse repræsentationis potest esse æqualis Angelo superiori, si intellectus inferioris compleatur specie comprehensiva superioris, quo casu vis cognoscitiva adæquata constituta per intellectum Angelo probabiliter identicè intrinsecum & per speciem ab Angelo distinetam, atque adeò vis cognoscendi tam intrinseca quam semi-extrinsica, tametsi non subjectivè & entitativè, objectivè tamen & repræsentativè tanta erit, quanta est cognoscibilitas Angeli superioris. Sed de his alii. Nobis in præsens difficultas tota est de cordium secretis, quæ cùm possint esse actus in entitate naturales, atque adeò intra latitudinem objecti intellectui Angelico proportionati contineri, quæstio nascitur an & cur ab Angelo non cognoscantur? resolutio data est in thesi, cuius.

**XLIII.** PROBATUR Prima pars authoritate, nam in scriptura solus dicitur *scrutans corda & renes DEUS*. Tu nôsti solus cor omnium filiorum hominum, quod alibi repetit: *Tu solus nôsti corda filiorum hominum*. Et alibi: *pravum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Ego Dominus minus scrutans cor, quo nomine tam intellectus quam voluntas in scriptura venit. Idem passim docent SS. PP. Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Bernardus, cujus verba sunt sequentia: *sanum vas & inconcussum conscientia, & secretis servandis idoneum, nullis patiens infidiis, nulli violentiae cedens, nulli quippe manui vel oculo accessibilis, excepto duntaxat spiritu, qui scrutatur etiam alta DEI*: Hinc dum oppositum astrarere quidam PPres videntur, aliud haud voluisse consendi sunt, quam quòd aliter secreta ab aliis sibi manifestata nôsse queant, quam nos corporea mole gravati, neque enim sic

*Bern. tr.*  
*de Mor. &*  
*off. epis. c.*  
*6. alias*  
*epla 42.*  
*L. 2. de Gen. cont.*  
*Manich.*  
*6. 21.*

*sic latere ( puta Angelos ) posse cogitationes credendum est , quemadmodum in his corporibus latent , ut loquitur August. , nempe Angeli facta sibi revelatione , secreta clarè & in se ipsis cognoscunt , non velut nos in corporeis figuris . Hoc porrò , quòd de abscondito ab oculis aliorum uniuscujusque cordis arcano dictum est , non de actibus solùm voluntatis , sed etiam intellectùs accipi debet , tum quia scriptura soli DEO attribuit , quòd universas mentium cogitationes intelligat , eumque <sup>1. Paral.</sup> vocat discretorem cogitationum & intentionum cordis , & <sup>28. Heb. 4.</sup> non solarum intentionum ; hinc Hieron : ex eo quòd <sup>Math. 9.</sup> vidisset JESUS cogitationes , benè inferri docet ejus divitatem ; & Suarez advertit , cùm scriptura referat Christum dixisse *ut quid cogitatis mala* , & non solùm : *Ibidem.* malè , ipsum vidisse non solas intentiones voluntatis , sed & cogitationes intellectùs . Tum quia si Angelus cognosceret operationes alterius intellectùs , hoc ipso etiam nōsset actus voluntatis cum actibus intellectùs connexos , cùm enim Angelus eliciens amorem actu intellectùs ( non verò voluntatis , nè potentia cæca dici beat illuminare ) percipiat & cognoscat se amare , si alter Angelus hanc cognitionem videret , pariter videret & objectum hujus cognitiones , nempe amorem Angeli amantis . Tum denique quia par esse videtur ratio de actibus intellectùs ac voluntatis , cùm utrique sint secreti . Doctrinam hanc rectè alii extendunt ob eandem rationem ad species & habitus ab actibus præhabitatis relictos .*

PROBATUR Etiam secunda pars , quia scriptura & *XLIV.* PP. sic creaturis impotentiam attribuunt , sicut DEO potentiam scrutandi corda aliena , ut constat ex num. antec: ergò sicut vis scrutandi in DEO est potentia

simpliciter & connaturalis, sic impotentia creaturis  
 conveniens est potentia simpliciter & connaturalis.  
 Accedit, quod jus secreti sit bonum naturae rationa-  
 lis quam talis: ergo fundatum in ipsa natura rationali.  
 Antec: videtur certum, est enim participatio (cujus  
 sola natura rationalis est capax, irrationalis incapax)  
 perfectionis in DEO repertae, quam ipse sibi jus in sua  
 1. Cor. 2. arcana depositit, *quaenam enim DEI sunt, nemo novit, nisi*  
*spiritus DEI*; recta autem mensura boni creati est, si  
 idem in DEO reperiatur: ergo. CONFIRMATUR, nam  
 quia cernimus igni perpetuo negari concursum ad  
 producendum frigus, recte inferimus impotentiam  
 frigefaciendi igni esse connaturalem: ergo quia ex  
 scriptura & PP. scimus creaturis (si seponas peculia-  
 rem favorem & casus prorsus extraordinarios) per-  
 petuo negari concursum ad noscendum secretum cor-  
 dis alieni, benè concludimus eam impotentiam esse  
 creaturis connaturalem; unde sicut non dicimus ex  
 puro DEI beneplacito, sed ex ipsa rei natura prove-  
 nire, quod ignis tantum urere queat, cum *natura uti*  
*agitur, sic nata sit agi*; ita dicimus non præcisè ex vo-  
 luntate DEI impediente, sed ex ipsa rei natura ha-  
 beri, quod naturae rationalis secretum suum custodi-  
 re possit, nec alium in ejus notitiam admittere teneat-  
 tur, sicut ferè justus divitiarum possessio, non tene-  
 tur alterum invitus admittere in earum possessionem.  
 RATIO totius rei ulterior est: Nam DEUS defacto  
 ignem condidit cum exigentia naturali caloris, aquam  
 cum exigentia frigoris &c. eò, quod tales naturas  
 condere voluerit, quales condi expediebat pro bono  
 physico universi: ergo pariter naturam rationalem  
 condidit cum jure ad sui cordis secretum, quia talem  
 sapi-

sapiensissimus conditor fecit, qualem fieri expediebat pro regimine politico & recta gubernatione Reipublicæ rationalis, hinc in prima specierum infusione species secretorum alienorum DEUS Angelis vel non infudit, vel si infudit, eae erant impeditæ ad producendam altero invitò cognitionem, ut verò expeditæ fierent, petebatur vel specialis manifestatio vel secretarii consensus non quidem tanquam aliquid dans cognoscendi virtutem, sed tanquam conditio connaturaliter ad hoc requisita, ut species proximè posset comproducere cum intellectu cognitionem, sicut v. g. lux petitur ut conditio ad videndum colorem, applicatio ad urendum, donatio vel venditio ad justè ab alio possidendam rem proprietatis jure nostram. Hinc ulterius, si Angelus speciem concretam sibi haberet de secreto alieno existente, & etiam naturaliter exigeret illud cognoscere, quia tamen potentius est jus & exigentia totius naturæ rationalis ad occultandum secretum, illa prior exigentia per hanc fortiorē elideretur, sicut v. g. per obſtentiam terræ, cui lapis incubat, naturaliter impenetrabilis eliditur & evacuat exigentia lapidis, quam habet tendendi ad centrum, nè proximè expeditus sit ad eò pervenientum.

PRO THESIS præsentis secunda parte usus sum aliàs ex Arriaga ratione petita ex eo, quòd, cùm creatura rationalis utpote in manu consilii sui relicta perfecta gaudeat libertate, debeat habere in actus suos jus secreti connaturaliter in libertate idcirco fundatum, quòd libertas ferat perfectum dominium & potestatem dominativam in suos actus, hæc autem trahat jus secreti, eò, quòd experientiâ doceamur nos sæpe à ponendo actu retrahi, si eum clām aliis ponere non

possimus; unde ut perfecta libertate non physicâ tantum, sed & morali polleat creatura rationalis, con-naturaliter exigit jus secreti, nè cogamur dicere crea-turam rationalem omnia ex morali necessitate opera-ri. Addidi ex Esparza alioquin in Angelis non habi-turam locum legem de non infamando, & quemlibet ante judicis sententiam iri infamatum, cessaturum quoque inter Angelos mutuum colloquium. Verùm re iterum expensa ab ijs rationibus discessi, non qui-dem ob sequelam, quam quidam ponit, fore nimi-rum inde, quòd neque DEUS noscat secreta creatu-rarum, nam scimus creaturam nullo jure exclusivè sed, ut maxime, cumulativè adversùs DEUM polle-re, ut docetur in - de Jure & Justitia: Sed propterea, quia libertati morali creaturæ abundè consulitur, quòd facultatem retineat actum suum pro libitu eli-ciendi vel omittendi, ut patet à pari de actu externo, quem semel positum quāvis celare Angelos non possimus, quia tamen eum ponimus cum potestate omittendi, & omittendo Angelos celandi, liberrimè ponimus: neque pudor ille, quo ex malè coram aliis facto interdum suffundimur, tantundem præjudicare nobis potest, ut libertatem moralem perimat sola fa-cultate physica factum ponendi relicta, nam si oculus illius, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, vi illa ab actu retrahendi non pollet, quomodo tan-tam vim habere poterit oculus eorum, per quos sinè D E I nutu *capillus de capite vestro non peribit* salvatore attestante? Id, quod additur, facile reponi potest in actu externo, hunc enim non oportuit occultum esse, etsi coram aliis positus mox infamer apud homines: ergò idem est de actu interno, etsi mox,

*Math. 10.  
& Luc. 11.*

*Luc. 21.*

mox, ac eliciatur, infamet apud Angelos. Mutua de-  
mum colloquia misceri adhuc possent, quia nihil est  
novi res aliunde notas materiam suppeditare novo-  
rum sermonum.

**QUÆRES :** An idem, quod de arcana sentiendum XLVI.  
pariter sit de futuris? **Respondeo primò :** certum est  
Angelos nosse futura necessaria v. g. futuram eclyp-  
sim, pluviam, pestem &c., sub illa tamen hypothesi,  
si hæc non impedianter seu per seu citra miraculum  
à libero agente; hæc enim jam sunt in suis causis de-  
terminata: ergò determinatè in illis cognosci possunt,  
quando, ut in similibus fit, cognoscitur connexio na-  
turalis causæ cum effectu. **Ob contrariam rationem,**  
quæ fortuito casu eventura sunt, non nisi incertis  
conjecturis ab Angelis deprehendi possunt. **Respon-**  
**deo secundò :** de contingenter & libere futuris idem  
judicium formari debere, quod de cordium arcana,  
atque adeò ista ab Angelis seclusa revelatione specia-  
li æquè parùm ac cordium arcana attingi posse. Pa-  
tet ex script: dicente: *annuntiate, quæ ventura sunt in* Iij. 4r.  
*futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Et iterum: *ego* Iij. 46.  
*sum DEUS & non est ultra DEUS, nec est similis mei an-*  
*nuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ necdum fa-*  
*cta sunt, dicens.* **RATIO autem est,** quia si non cogno-  
scuntur actus liberi saltem alieni, qui actu sunt, ut  
ostensum in thesi, multò minùs noscentur actus liberi  
futuri, qui nondum sunt. **Respondebis :** tenere illa-  
tionem de futuris alienis, secus de propriis. **CONTRA**  
est: quia si nōssem actus futuros proprios, nossem pa-  
riter & alienos, nam si nōrim, quòd tibi cras irascar,  
novi pariter, quòd me actibūs tuīs provocaturus sis  
ad iram; alienos autem prænōsse non possum: ergò  
neque

neque proprios. Alia ratio, cur Angeli futura contingentia seu creaturis libera seu fortuita non cognoscant, peti potest ex ipso titulo futuritionis : quia futurorum ( nonnullis, quæ specialiter revelantur, exceptis ) species non habent sibi concreatas, nam eorum species Angelis concreantur, quorum cognitio est ipsis debita ; sed futurorum in se ipsis cognitio non est ipsis debita : ergo horum species ipsis concreatae non sunt. *min. prob.* Eorum tantum cognitio est ipsis debita, quæ petunt cognosci ; futura antequam existant, non petunt cognosci : ergo. Maj. patet, quæ enim petunt cognosci, eorum cognitio est alicui cognoscitivo naturaliter debita, nè exigentia ad cognosci frustranea & naturaliter impossibilis sit ; cui autem aptius quam Angelis perfectius quam sit homo cognoscitivis ? *min.* etiam constat, quia futura, antequam existant, non habent existentiam : ergo neque exigentiam ad cognosci. DICES : Scriptura & PP. æqualiter loquuntur de præteritis & futuris, sicut enim dicitur : *nuntient nobis, quæcumque ventura sunt*, sic dicitur : *priora quæ fuerunt nuntiate*, & Gregorius dicit prophetiam etiam esse præteriorum, & tamen multi Angelis tribuunt non nudam memoriam in antè jam cognitorum, sed cognitionem præteriorum nunquam hactenus cognitorum, si nempe sint ordinis naturalis, nec sint actus liberi & secreti : ergo etiam debet ijs tribui cognitio futurorum. Respondeo *nego conf.* quia eorum præteriorum supponuntur habere species, non item futurorum. Præterea noscendo similia præterita nullum nōrunt actu secretum & liberum ex supposito : noscendo autem futura nōssent actum liberum vel creaturæ, si nempe sint actus futuri creaturæ liberæ ut talis,

I. 41. v.

22. hom. i.

*in Ezech.*

lis, vel actum liberum DEI, si sint fortuito casu futura, cùm ista DEUS suô decretô ut author naturæ determinet. Hinc authoritates adductæ vel loquuntur de hominibus, qui non habentes species præteritorum nisi jam semel cognitorum non nisi hæc per memoriam nôrunt, vel loquuntur de talibus præteritis, qualia sunt futura, nempe de liberis & secretis.

## THEISIS XI.

*Angeli circa ea, quæ evidenter & naturaliter nôrunt,  
propriè non componunt, nec dividunt, neque  
formaliter discurrunt: circa ea autem, quæ inevi-  
denter cognoscunt, vel probabili conjecturâ con-  
ijciunt, formaliter discurrere possunt.*

**P**RÆNOTO : Compositionem & divisionem mentalis formaliter & propriè talem tunc fieri, cùm apprehensō per unum actum prædicatō & per alterum subjectō, per tertium demum actum veluti reflexum & comparativum prædicatum & subjectum inter se conferuntur; & siquidem realis inter ipsa deprehendatur identitas, componuntur inter se per judicium affirmativum; si verò deprehendatur eorumdem à se invicem distinctio, dividuntur per judicium negativum ad eum ferè modum, quo Logici docent universale Logicum seu prædicabile proximè tale fieri per judicium reflexum seu actum comparativum. Debent autem apprehensiones illæ prædicati & subjecti fieri priùs prioritate ad minùs naturæ, sic, ut pro illo priori extrema illa apprehendantur cum quapiam in-

differentia ad identificari vel distingui, atque adeò per tale medium & speciem intelligibilem repræsentari habent, ut non eò ipsò repræsentetur appareátve identitas ipsorum aut distinctio, si enim prima mox fronte vel conjuncta appareant per identitatem vel per distinctionem sejuncta, uno simplici intuitu, tam prædicatum & subiectum, quām utriusque identitas aut distinctio cognoscentur, nec ulla eo casu fiet compositio vel divisio. Eodem modo philosophandum est de discursu formalī & propriè dicto, qui tunc habetur, cùm plures ità sibi cognitiones succedunt, ut una in aliam exerceat causalitatem, & influxum seu jam effectivum seu directivum, qua de re Philosophi viderint; iste verò processus ab una cognitione in aliam, uniúsque in aliam influxus independens esse debet à libero voluntatis decreto, cùm ex Logicis constet præmissas necessitatē ad conclusionis assensum; hinc dum Angelus pro mera sua libertate ab una cognitione ad aliam progreditur (non enim ut DEUS uno simul omnia actu cognoscit) absque necessaria connexione & causalitate unius in aliam, nuda habetur plurium cognitionum successio absque omni discursu formalī. Porrò reflexè loquor de compositione & divisione atque discursu *formaliter* & *propriè* acceptis, nam Angelum posse *æquivalenter* componere, dividere, taliterque etiam discurrere, negandum non videtur, nam *æquivalenter* componere aut dividere aliud non sonat, quām quòd una formalitas actus omnino ejusdem respondeat ratione nostra uni formalitati objecti v. g. animalitati, altera alteri v. g. rationalitati; hoc autem in judicio Angelico, quod reæliter est simplicissima qualitas, intervenire posse, patet,

ret, cùm non magis sit simplex, quàm objectum realiter prorsus idem v. g. animal & rationale, quod non obstante tamen identitate reali æquivalenter & fundamentaliter plures includit formalitates. Idémque est de discursu virtuali, qui toties habetur, quoties una eademque cognitione noscitur effectus per causam vel è converso, quod Angelo sæpè evenire est in confessio. Hìs positis

PROBATUR Thesis pars prima tum autoritate XLVIII.  
 Div: Thom: sic loquentis : *Si intellectus statim in principio videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando : similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subjecti haberet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subjecto vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo & dividendo, sed solum intelligendo, quodquid est.* Tum ratione : quia res ex parte rerum sunt determinatè vel identificatæ, vel distinctæ; sed quæ Angelus evidenter cognoscit, ea cognoscit sive in se ipsis sive in alio, prout sunt ex parte rerum : ergò quæ evidenter cognoscit, illa statim cognoscit ut determinatè vel identificata vel distincta. Maj. patet, si enim existentia præscinderent ex parte rerum ab identitate & distinctione, individua vaga à parte rei darentur contra certam Philosophiam. Min. etiam tenet, quæ enim cognoscit cum evidentiâ, cognoscit cum veritate, & sic, sicut ex parte rerum sunt saltem quoad *an est*, quando carent evidentiâ quoad *quomodo est*. Subs. Atqui statim & primo obtutu cognita ut determinatè identificata vel distincta non cognoscuntur componendo vel dividendo aut formaliter discurrendo, hoc enim fert pluralitatem & successiōnem actuum, nempe fert vel terminorum distinctis

cognitionibūs apprehensorum per tertium actum compositionem aut divisionem, vel unius actus ex alio illationem : ergò quæ statim evidenter, atque ut determinatè identificata vel distincta cognoscit, ea cognoscit nec componendo, aut dividendo, nec formaliter discurrendo. Atque ex hinc in-de DEO in fine Xmi Num: aliquod lumen addidi thesi ibidem propositæ, Angelis videlicet viatoribus *DEUM existere* evidenter ex ipsis terminis fuisse notum, cùm enim circa evidentia non discurrunt, & evidenter ipsis nota fuerit supremi Entis existentia, ex terminis nota fuit citra discursum, qua in re Mellifluus mihi Doctor viam præiverat, qui docet à *creatura cali*, hoc est ab Angelis *DEUM* quidem in alio seu per species alienas, cùm intuitivam DEI visionem per naturam haberí non posse constet, non tamen ex alio seu per discursum cognosci, nam cùm adduxisset illa ex Apostolo verba : *invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, subsequitur ità loquens : *adjecit protinus à creatura mundi; nimirum, quoniam à creatura cali non ita.* *Quo enim is involutus carne & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens gradatim quodammodo, paulatimque nititur pervenire, eò ille caelestium habitator ingenita subtilitate & sublimitate sua in omni velocitate, facilitatéque pertingit.*

XLIX.

Iij. 63.  
Cant. 3.

PROBATUR etiam secunda pars magis controversa : tum quia in Angelis datur admirativum, prout indicatur ijs ipsorum verbis : *quis est iste, qui venit de Edom? quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fulmi?* ergò datur pariter & discursivum. Tum quia ponitur in Angelis Eubulia seu virtus consiliandi, quæ ex Aristotele supponit inquisitionem seu discursum & pro-

progressum à magis noto ad minùs notum. Tum quia Angeli de intentione finis procedunt ad electionem mediorum: ergò & de una cognitione in aliam. Tum quia antequam eliciant fidei actum, debent priùs per judicium credibilitatis evidenter judicare hoc objec-tum esse à DEO revelatum: ergò antequam assensum præbeant obscuræ conclusioni, possunt priùs judica-re de veritate præmissarum. Tum denique & potissi-mè, quia quando Angelus aliquid conjecturaliter cognoscit, cognoscit illud inferendo seu illativè; sed cognoscere illativè est cognoscere discursivè: ergò. maj. prob. quod cognoscit conjecturaliter, cognoscit ex alio; sed quod cognoscit ex alio, cognoscit illati-vè: ergò. min. patet ly enim *ex alio* denotat causalitatē unius actus in aliū, cùm aliud quid sonet, quam cognosci præcisè *in alio*. maj. autem prob. sic enim dæmones conjecturaliter, ut docet Div. Th. in tertia parte cognoscentes divinitatem Christi cognoverunt eam *ex miraculis*, & defactò arcana cordis no-stri conjecturaliter deprehendunt ex indiciis & signis externis à nobis positis, ità videlicet, ut miracula & signa externa *evidenter* advertant, divinitatem verò & arcana cordis *probabiliter* tantùm & conjecturando inferant: ergò quæ Angelus conjecturaliter cognoscit, ex alio agnoscit. Respondebis miracula ab An-gelo cognita esse *medium*, *in quo* Angelus *eadem* cogni-tione evidenter cognoscit probabilitatem divinitatis, quia visis miraculis non affirmat existentiam divini-tatis judiciō absolutō & per propositionem de *in esse*, sed per propositionem *de modo*, seu judiciō modalī, quòd nempe detur probabilitas de existentia divinitatis; hoc autem modale judicium concipit sínè discur-

su; cùm enim circa evidenter nota non discurrat ex numero priore, & modum probabilitatis Angelus evidenter cognoscat, manifestum est eum non discurre-re, dum modum probabilitatis affirmat. RATIO au-tem, cur non ferat judicium absolutum de existentia divinitatis est, quia protervè & contra naturam sui intellectus ageret exponendo se erroris periculo, quo tamen ipso casu una cognitio non erit causa alterius, velut ad discursum requiritur, sed proterva Angeli voluntas erit causa erroneæ cognitionis: quare ut Angelus errandi periculum vitet, ad judicium abso-lutum non procedit, sed suspensum illud tenet, hæ-retque dubius circa inevidentia, circa quæ ipsa nè quidem habet conjecturalem notitiam propriè dictam, & accipiendo conjecturam pro opinione vel suspicio-ne, sed solùm impropriè dictam sumendo conjectu-ram pro dubio.

L. CONTRA Sic: ergò saltem per voluntatem liberè applicari potest intellectus Angelicus ad ferendum ex motivo probabili absolutum judicium sicut nos ho-mines: atqui ex hoc judicio potest inferre alium actum: ergò potest discurrere: maj. patet: Angelus enim viator vel malus proterviam non minùs quàm homo committere potest. Min. item constat, nam præstito semel assensu à voluntate imperato huic actui: *nullus esuriens est Filius DEI*, & cognita evidenter ve-ritate hujus minoris: *hic homo esurit*, potest, imò, cùm præmissæ ad assensum formalis conclusionis necessitent, debet Angelus inferre hunc tertium actum: *hic homo non est filius DEI*: ergò ex judicio absoluto potest in-ferre alium actum. Neque obstat, quòd propositio tenens locum majoris non causetur ab alia cognitio-ne,

ne, sed à voluntate, quia ipsa non est conclusio passivè illata, sed est præmissa activè inferens conclusiōnem; unde non requiritur, ut sit causata ab alia cognitione, sed ut sit causans aliam tanquam conclusiōnem, sicque habeatur discursus formalis. Atque videntur dæmones defactò similī ratiociniō usi fuisse, et si decepti sint, quando accessit tentator & dixit ei, *si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant;* sicut è con- Matt. 4.  
 verso veritatem attigerunt, quando ex tot miraculis tanquam luculentis divinitatis signis existentiam divinitatis intulerunt, non dubitativer modò, sed & absolute ( quamvis absolutum judicium iterum posteā maximè in passione Christi deposuerint ) cùm scriptum de ipsis sit: *sciebant ipsum esse Christum.* Quibus Luc. 4.  
 ex omnibus palam etiam fit posse in intellectu Angelico circa inevidētia & probabiliter affirmata tam veritatem quām falsitatem ceu Angelicæ cognitionis proprietates reperiri: circa evidenter verò cognita solam dari veritatem, & idcirco ubi Philosophus veritatem reperiri docet in sola compositione & divisione, loqui censendus est de compositione & divisione *objectiva* rerum, non verò *subjectiva* conceptuum, dixi enim jam anteā Angelos circa naturaliter evidenter nota neque componere mentaliter, neque dividere. Quod autem de compositione objectiva rerum Aristoteles accipiendus sit, inde clare apparet, quia securus neque divina cognitio capax esset veritatis, cùm subjectivè summè simplicem & omnimodè incompositam esse constet.

## THESES XII.

*Probabiliter opinamur Angelos seu inter se, seu cum animabus separatis colloqui per intellectualem ordinationem conceptuum praesupposita tanquam conditio ad liberè & voluntarie loquendum requisita juris cessione facta per voluntatem vel nudâ loquendi volitione.*

LI.

**P**RÆNOTO Extra dubium esse, quod Angeli inter se colloquia misceant & etiam cum animabus, *Zach. 2.* ut sacræ passim paginæ attestantur : *curre, loquere ad puerum istum.* *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* *A Juda Apostolo refertur Michaël Arch-Angelus de Moysi corpore cum Diabolo disputans altercatus fuisse.* Alias Angelus *clamavit voce magna quatuor Angelis ibidem animabus interfectorum dictum est, ut requiescerent adhuc tempus modicum.* DEUM quidem Angeli æquè ac homines alloquuntur locutione eo sensu pure affectiva, quod nullam rem DEO antehac ignoratam manifestent, sed quodammodo conditionatè petitiones suas, si per impossibile DEUM laterent, innotescere desiderent apud DEUM; inter se verò & cum animabus fabulantur locutione aliquatenus effectiva, quatenus loquendo facere possunt rem, de qua audiens actu non cogitabat, audiri & actu intelligi, sive id jam fiat productione alicujus signi & qualitatis spiritualis sive in se ipsis, hoc est in ipso loquente ut aliqui volunt, sive in alio, nempe in audiente, ut alij, sive fiat productione actus intellectualis reflexi &

*1. Cor. 3.**Apoc. 7.**6. 6.*

& dirigentis conceptum suum ad audientem præsupposita juris in secretum suum præhabiti cessione, ut præsens thesis ponit; cum enim Angeli voluntariè loquantur, seu quia loqui volunt, prærequiritur ad actualem locutionem actus voluntatis cessivus juris in secretum tanquam conditio, sicut taliter approximatio prærequiritur ad actualem combustionem, vel cognitio ad amorem, aut donatio vel venditio rei ad hoc, ut alter eam legitimè & ut jure proprietatis suam retinere possit. Posito porrò sic actu voluntatis, qui est veluti directio remota, ponitur *directio intellectualis*, in qua stat actualis locutio, quā nempe conceptus seu mens unius ad alterum ordinatur. Dico *seu mens*, quo terminō aliqui uti malunt eò, quod illō veniant etiam actus voluntatis ( dicimus enim hoc ad mentem meam negotium egisti, id est: ad voluntatem meam ) qui non minus quam actus intellectus locutione manifestari possunt. Hinc in ista opinione *lingua* Angelorum est intellectus loquentis seu vis producendi tum actum directum, qui manifestatur, tum actum reflexum tanquam verbum *respectivum* ad audientem, quo manifestatur actus mentis directus; auditus vero est intellectus audientis seu vis percipiendi objectum sibi dictum. *Locutio* vero est actualis ordinatio seu productio actus dirigentis & ordinantis; *auditio* autem est actualis intellectio & perceptio objecti dictione manifestati. Hinc ulterius licet *velle* loqui, *velle* ordinare pertineat ad voluntatem, sicut *velle* præcipere, *velle* interrogare; actu nihilominus loqui, actu ordinare propriè actus est intellectus ( non secus atque actu præcipere vel interrogare ) non quidem directus & manifestandus ( cum

iste non sit manifestans, alioquin se ipso manifestus semper fuisset, nunquam occultus) sed actus reflexus, quo Angelus loquens suum actum dirigit ad audentem, & dirigendo manifestat; sicut tamen volitio requiritur ad rationem præcepti, non quidem ut præcepti, sed ut voluntarij & liberi, sic volitio requiritur ad rationem locutionis ut voluntariæ. His ita positis

LII.

PROBATUR Thesis: Loqui ad alterum est alteri manifestare & explicare suam mentem; atqui Angeli mentem sibi suam mutuò manifestant per directionem intellectualē conceptuum suorum ad invicem: ergo Angeli loquuntur per directionem conceptuum, & quoniam loquuntur, quia loqui volunt, præviè ad locutionem actualem habent volitionem loquendi juris in secretum cessivam. Maj. est notio nominis. min. prob. à pari de humānis: nam per istam directionem nos formaliter loqui censemur, ita, ut si ad nosmetipos conceptus nostros ordinemus, nobiscum etipſis loqui putemur; si ad DEUM vel Angelos, hos alloqui; si denique ad homines, cum his fabulari dicamus: quod usque adeò verum est, ut hujus directionis defectu non cum altero seu ad alterum, sed coram altero loqui censeamur; per accidens verò est, quòd colloquentes hominibus corpore constitutis & sensu præditis directionem nostram per verba vel signa externa patefacere habeamus. Respondebis: locutionem stare quidem in illa ordinatione mentis ad alterum, hanc tamen ordinationem non esse actum intellectus, sed voluntatis, quo ita jure in secretum cedimus, ut illud *velimus* innotescere alteri, atque ita clare doceri à S. Thoma sic loquente: ex hoc, quòd conceptus

ceptus mentis Angelice ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli, conceptus mentis unius Angeli innotescit alteri: & sic loquitur unus Angelus alteri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare. CONTRA est, quia S. Tho. aliud non vult quam locutioni actuali praेire actum voluntatis tanquam ordinationem remotam, ut enim locutio sit libera, requiritur ut conditio actus voluntatis imperans locutionem actualem, quæ est ultimata ordinatio & actus intellectus. Sic verò explicari debere D. Tho. <sup>Ib. ad 3.</sup> patet ex ipso S. Doctore, nam ibidem sic habet: *Sicut sensus movetur à sensibili ità intellectus movetur ab intelligibili: sicut ergò per signum sensibile excitatur sensus, ità per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum: ergò supponit locutionem esse de linea intellectionis.* Alibi etiam locutionem Angelorum dicit non esse quidem vocalem, sed intellectualib[us] signis expressum. Eadem aliis etiam PP. est mens, sic <sup>Diss. 11.</sup> Theophilactus ait: *potentia quadam intelligendi, quâ invi-* <sup>in 2. part.</sup> *textus. q.* *cem divina communicant sensa, Angelorum est lingua.* Theo-<sup>1.</sup> doretus sic habet: *Angelorum linguas dicit, non quæ sen-* <sup>In illnd</sup> *su, sed quæ intelligentiâ percipiuntur, per quas & universo-* <sup>Pauli, si</sup> *rum Dominum laudant, & inter se differunt.* RATIO autem <sup>linguis</sup> hominum <sup>&c. in</sup> <sup>eundem</sup> <sup>locum,</sup> est, quia de locutione Angelorum nobis ignota disserere debemus conformiter ad alias tum fide certas, tum experientiâ notas; atqui fide tenemus locutionem Patris æterni, quâ exprimit VERBUM æternum, esse in sensu formalí actum intellectus, experientiâ item novimus locutionem nostram internam, quâ nobis ipsis loquimur, vel DEUM aut Angelos alloquimur, esse actum intellectus: ergò idem de Angelica sentiendum. RATIO autem à priori est, quia loqui

loqui est producere verbum : sed verbum producitur intellectu, non voluntate, ut iterum patet ex eo, quia Verbum in divinis formaliter procedit per intellectum non per voluntatem : ergo.

LIII. OBIICIES : Jus secreti tota est ratio, cur unus Angelus cognoscere nequeat alterius actus, positō DEUM huic juri nolle contravenire : ergo sublato hoc jure potest unus nōsse alterius actus naturales. Atqui hoc jus sola cessione aufertur : ergo per solam hanc cessionem potest unus nōsse actus seu conceptus mentis alterius : ergo facta præcisè per voluntatem juris cessione habetur manifestatio mentis seu locutio absque ordinatione intellectuali. Respondeo : *dist. antec.* Jus secreti est ratio, cur unus nōsse nequeat quomodocunque alterius actus *omitto*, cur non cognoscat ex colloquio seu audiendo *nego ant. dist. cons.* ergo sublato hoc jure potest unus simpliciter nōsse alterius actus *conc.* potest nōsse audiendo & ex colloquio *nego conseq.* Non qualiscunque manifestatio mentis etiam quā *puri objecti* est locutio, sed manifestatio conceptū mentis quā talis & quidem verbaliter facta per verbum seu internum & spirituale, seu externum & materiale, prout locutio vel spiritualis est vel materialis : alioquin essentia divina, quæ tanquam pervium Beatis divinitatis speculum multa illis manifestat, loqueretur Beatis. DICES : possum rem meam donare per solam juris cessionem : ergo & conceptum meæ mentis per solam hanc alteri explicare : Respondeo *dist. ant.* & possum meam donationem donatario manifestare manifestatione locutiva per solam cessionem juris, *nego aliter omitto ant. & nego cons.* quod nempe locutivè possim meam mentem alteri explicare per

per solam cessionem juris. URGEBIS : nisi ego cedam jure secreti, nulli creaturæ, si seponatur specialis DEI revelatio, manifestum erit meum secretum : ergò ad manifestationem requiritur cessio juris, quæ sola fit volitione ; & aliàs loquerer, quin loqui vellem. Respondeo requiri volitionem ut *conditionem*, jam dixi, quæ tamen non constituit locutionem quâ talem, licet constituat locutionem quâ *liberam*, sicut approximatio ignem in esse approximati. Requiri autem volitionem ut conditionem, RATIO est, quia quando effectus aliquis potest existere existente altero, & hoc non existente non potest existere, idque semper & uniformiter fiat, tunc illud alterum vel causa est vel conditio ad hunc effectum ; atqui perceptio arcani alieni potest toties existere, quoties alter cedit jure suo, & hoc non cedente existere non potest : ergò cessio illa vel causa est vel conditio ad perceptionem seu auditionem ; non esse autem causam constat ex num. superiori : ergò est conditio. URGEBIS iterum : directio, quam nos ponimus, se ipsâ est manifesta supposita præcisè juris cessione vel volitione : ergò conceptus mentis omnes supposita sola juris cessione fiunt manifesti. Respondeo indirectè : juris cessio pariter se ipsa manifestatur ( etsi non locutivè semper ) malè tamen inferas reliquos actus directos se ipsis manifestos esse. Respondeo directè : *nego cons.* quia directio illa est actualis manifestatio : ergò sicut lux & se & colorem manifestat, unio & se unit & extrema, ita illa directio, quæ quidem est actus internus, sed non occultus, & se manifestat & alios conceptus. RATIO autem est : quia actualis ultima determinatio hoc ex conceptu suo fert, ut in eo genere, in quo

determinat alia, determinet se ipsam, nè eatur in infinitum.

- LIV. Ex his colligere est sequentia: primò: quī unus Angelus secreto & aliis non audientibūs alteri loqui possit, si videlicet ad hunc solum & non ad alios dirigat mentis suæ conceptum. Secundò: quī ad magnam etiam distantiam mutuò sibi colloqui queant circa ullam actionem in distans, qualiter dives ille in inferno sepultus cum Abraham à longè viso loquebatur, et si inter ipsos chaos magnum firmatum esset, ut ad se propè accedere, & ab unius ad alterius locum transire non possent. Tertiò: quid sit Angelorum clamor? nam clamare dicuntur, vel quia magnum quid intimant, vel quia se audiri multūm desiderant, ut explicat S. Gregorius, tanto, inquiens, *quisque minus clamat, quantò minus desiderat*: Quartò: quomodo Angelus, ad quem locutio dirigitur, ad audiendum excitetur? nam in opinione volente species omnium rerum initio mox Angelo esse concreatas per locutionem removetur sigillum à secreto, quo priùs claudebatur, sicque Angelus in sui & sibi intrinsecorum cognitione occupatus, excitatur, si specie uti vellet ad secretum illud cognoscendum: in sententia autem tenentium nonnullas species successivè (nè videlicet infinitarum rerum species simul infusæ dicantur) infundi, DEUS de novo producit speciem ad exigentiam utriusque Angeli tum loquentis, tum audientis, eò, quod per consensum & ordinationem loquentis hoc objectum incipiat esse de pertinentibus ad audientem. Quintò: quare in fine thesis posuerim: *vel nuda loquendi volitione*, ut nempe intelligatur, quod Angeli mentiri sibi invicem possint, si nempe ali-

Luc. 16.

2. Moral.

aliquis formet actum reflexum directivum conceptus directi, quo re ipsa caret v.g. si dicat alteri sibi quippiam esse revelatum, quod tamen revelatum ipsi non erat, quo casu ad loquendum determinatur sola loquendi voluntate. Quòd si autem locutioni actuali præsupponi deberet cessio veri juris in secretum, Angelus loquens locutione sibi *per se connaturali* & propria non posset directè mentiri alteri Angelo. RATIO est, quia mentiri est loqui seu ire contra mentem; Angelus autem eo casu non posset contra mentem loqui; si enim loqui supponat cessionem veri juris, debet Angelus supponi habere verum jus; jus autem habet veram in rem seu conceptum suum; conceptus autem non suus, seu quem non habet, non est suus: ergò in conceptum non suum non habet jus: ergò nec cedere potest vero jure in conceptum non suum: ergò nec loqui potest manifestando conceptum seu mentem non suam, sed tantùm suam: ergò non potest loqui contra sed juxta mentem suam, consequenter nec mentiri alteri Angelo, etsi possit hominibus, & ideo de Diabolo dicit scriptura: *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater ejus, nempe mendacii,* atque inde solius veracitatis divinæ prærogativa est mentiri nulli posse.

COLLIGERE Demum est sextò: cur thesim sic orsus sim: *probabiliter opinamur*, quia nempe certum non est hoc, quod hactenus propugnavi, proprium & connaturale esse Angelorum idioma; probabilis namque etiam mihi videtur aliorum opinio putantium Angelos mutuò colloqui productione signorum spiritualium, sicut enim nos per notas nobis locutiones, divinam & humanam, explicamus ignotam nobis Angeli-

gelicam, ità Vasquez & alii per sensibilem & humana-  
nam loquela explicari debere volunt insensibilem &  
spiritualem Angelorum; unde sicut ob bonum com-  
mercii & societatis humanæ DEUS facultatem homi-  
nibus dedit producendi in aliorum hominum orga-  
nis: auribus, oculis &c. certos sonos vel signa mate-  
rialia, quibūs alii intelligerent, quid homines has  
voces aut hæc signa ponentes sibi velint significare,  
ità DEUM volunt dedisse Angelis facultatem produ-  
cendi in debita distantia ( cùm limitatæ sint virtutis )  
in concivibus suis signa spiritualia, quæ sive ex natu-  
ra sua, sive ex divina institutione utrisque revelata  
talem aut talem rem significant; cùm enim ratio *signi*  
non solum sensibilibus, sed etiam spiritualibus com-  
petere possit, ut patet in charactere, qui dicitur *sig-  
num indeleibile*, poterunt pariter dari signa spiritualia  
mentis manifestativa, & sicut character, ità & ipsa  
pertinere ad prædicamentum *qualitatis*, et si ab Aristotele,  
cui ignota erant, in eo genere collocata non  
sint. Hæc porrò signa, ut innui, vel naturâ suâ sig-  
nificant talem aut talem rem, sicque sunt *signa natura-  
lia*, non quidem sic, ut significatio eorum in forma-  
li similitudine vel in connexione entitativa, qualis est  
inter causam & effectum, sed in connexione necessa-  
ria signi & signati fundetur: vel significant certam  
rem ex institutione divina, & sic sunt *signa ad placitum  
divinum*, faciuntque linguam omnibus Angelis, qui-  
bus institutio illa revelatur, communem; quâ tamen  
suppositâ privatim convenire inter se quique Angeli  
possunt, & alia signa pro libitu instituere, sicque var-  
iorum idiomatum linguas privatas instituere, sicut  
inter homines fieri consuevit, qui ex diversa alpha-  
beti

beti combinatione diversissimis linguis loquuntur. Alii ejusdem sententiæ Patroni, nè cogantur ullum unius Angeli in mentem alterius illapsum admittere, qua de re dixi num. XXXV, volunt Angelos habere solùm facultatem producendi in se ipsis certa signa ad præsentiam alterius Angeli ( sicut in se producunt actus intellectus & voluntatis ) ex intentione, ut alter talem, vel talem rem intelligat ; qui modus inter se colloquendi non est penitus inusitatus etiam hominibus, qui nichil oculorum vel capitinis motione &c. suam sæpe mentem aliis declarant. Verùm de his viderint, qui huic opinioni ex professo patrocinantur.

*Quares hic : An, & quomodo unus Angelus illuminet alium ? Respondeo primò : quamvis principalis*

LVI.

*illuminans semper sit DEUS, sicut dum in humanis prædicatores evangelici annuntiârunt regnum DEI, DEUS principaliter aperuit cor intendere his, quæ dicebantur, unus nihilominus Angelus alterum, sicut unus homo alterum, illuminare potest. Constat ex script.*

Act. 16.

*Curre loquere. Nolite nocere terra & mari &c. Idemque passim docent SS. PP., sic Dionysius inquit : hæc lex à Cœlest.*

Apoc. 7.

*DEO sancta est, ut -- inferiorum ( puta dignitate, non naturâ ob superiùs dicta ) superiores doctores sint, eisque*

Hier. c. 14.

*quasi digitô viam monstrant. S. Bern. de Cherubinis loquens ait : ex ipso sapientiae fonte & ore Altissimi haurientes resundunt fluenta scientiae universis civibus suis, & alibi tradit, quod uni revelatur, non continuo omnibus*

5. de Con-

*revelari, sic enim habet : nè cui vel beatorum spirituum Hom. 1.*

sid. 4.

*suum DEUS, antequam Virgini revelasse pueretur consilium sup. missus*

*excepto duntaxat Angelo Gabriele, quod ipsum alio loco T. ad Hu-*

gonem de

*tuetur ad factam sibi à quibusdam objectionem re- S. Vict. t.*

*spondens. Respondeo secundò unus Angelus per 5.*

N

hoc

hoc illuminat alterum dignitate inferiorem, quod conceptum suum, quem habet de objecto peculiariter sibi revelato, dirigat ad ipsum ex intentione, ut ipsi innotescat, sicque ei veritatem occultam loquendo revelet. RATIO est, quia *lumen -- nihil est aliud, quam quædam manifestatio veritatis secundum illud ad Ephes.*

*Q. 106. a. 5. omne quod manifestatur, lumen est, ut loquitur D. Thom.  
1. Q. & illuminare nihil aliud est, quam manifestationem agnitæ veritatis alteri tradere, ut habet idem; sed qui alteri veritatem occultam revelat, tradit ei manifestationem agnitæ veritatis: ergo qui alteri veritatem sic revelat,*

*eum illuminat: ergo illuminare est veritatem occultam alteri revelare. Ex quo vides primo illuminare alterum esse ei veritatem occultam tradere, quod fieri potest manifestando ei veritatem de his, quæ pertinent ad*

*Ib. ad 2. statum naturæ, & gratiæ & gloriæ, ut loquitur Div. Th., quæ tamen veritas circa hæc ita debet esse occulta, ut originaliter dependeat à prima veritate revelante tanquam Principe illuminante, ut ita verum sit à su-*

*Ib. in Q. premis mentibus doceri deificas scientias, ut ex Div. Dionys. tradit Div. Thom. Vides secundò: quo sensu capienda sit doctrina Div. Thom., quam. I. c. proponit, quod nempe veritas notificari possit fortificando virtutem intellectivam ejus, cui notificatur, virtus autem intellectiva inferioris confortetur ex conversione superioris ad ipsum, conversio nempe hæc stat in directione memorata conceptus, confortatio autem per hoc fit, quod vel ad exigentiam superioris à DEO producatur in inferiore species rei, quæ revelatur, sicque confortatio fiet per *lumen intrinsecum*, vel quod à specie præhabita impedimentum auferatur, sicut dicitur confortari ignis ad urendum, dum lamina interposita amo-*

amovetur, & tunc confortatio fit per lumen extrinsecum. Qua de re videri potest Amicus. Vides tertio: Differentiam inter locutionem & illuminationem; nempe differunt, sicut genus à specie, quia ut locutio est species intellectionis, ita illuminatio est species locutionis, & præterea illuminatio fert, rationem magisterii in illuminante, & illuminati subordinacionem ad illuminantem, quod non fert simplex locutio, cùm discipulus alloqui non item illuminare possit Magistrum.

### THEISIS XIII.

*Angeli non modò contra supernaturalia DEI præcepta, verùm etiam contra legem naturalem, si v. g. in statu puræ naturæ relidi fuissent, peccare potuerunt.*

**P**RÆNOTO: Optimè à S. Thoma doceri, quòd nescie sit in Angelis utpote intellectivis ponere voluntatem & quidem liberò arbitriò decoratam. **LVII.**  
**R**ATIO de voluntate ex S. Thoma est: quia cùm Q. 59. 4.  
**D**EUS ex intentione boni universa operans singula ad quoddam bonum ordinet, indit singulis inclinationem ad bonum illud, cuius capacia sunt; quæ in bonum inclinantur secundū formam entitativam, seu ut loquitur per naturalem habitudinem absque cognitione, ut ignis ad calorem, lapis ad centrum, eorum inclinatio vocatur *appetitus naturalis*; quæ vero inclinantur in bonum cum aliqua cognitione, non quidem sic, quod cognoscant ipsam rationem boni, sed cognoscunt aliquod bonum particulare, ut sensus, qui cognoscit dulce & album; horum incli-

inclinatio dicitur *appetitus sensitivus*. Quædam verò in bonum feruntur ità, ut cognoscant ipsam universalem rationem boni, quod proprium est intellectus, & istorum inclinatio dicitur *voluntas seu appetitus rationalis*. RATIONEM pro libertate dat istam: *libertas arbitrij ad dignitatem hominis pertinet; sed Angeli digniores sunt hominibus: ergo libertas arbitrii, cùm sit in hominibus, multò magis est in Angelis.* Rationem verò radicalem insinuat iis verbis: *id, quod habet intellectum, potest agere iudiciō liberō, in quantum cognoscit universalem rationem boni, ex quo potest judicare hoc vel illud esse bonum.* Unde ubique est intellectus, est liberum arbitrium, & sic patet liberum arbitrium esse in Angelis etiam excellentius quam in hominibus, sicut & intellectum: cùm enim intellectus voluntati prælucens sit potentia universalis pro objecto specificativo respiciens totam rationem entis veri, sub hac autem ratione entis veri contineantur multa bona simul incompossibilia, taliterque etiam voluntati proponantur, debet voluntas, incompossibilia amplecti non valens, alterutrum ex ijs eligere: ergo habet potestatem electivam seu libertatem. Mellifluus patiter noster veritatem istam ut indubitatam tradit, dum ait tam hominem quam Angelum devolvi in malum, *sua utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus sit.* Et paulò post: *Diabolus liberè in malum corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* Estque hæc veritas de fide divina, cùm enim desiderare, gaudere, laudare DEUM passim in Script. Angeli dicuntur, voluntate, quâ id faciant, prædictos esse oportet; & quia mereri atque demereri, præmiari & puniri fide astruantur, liberò etiam arbitriò esse donatos, est necesse. In hac Angeli voluntate dari

De Grat.  
 & lib.  
 arb. c. 4.

dari dilectionem naturalem docet D. Thomas, quâ in suam beatitudinem naturaliter feruntur, istâque est principium dilectionis electivæ. An itaque dilectione electiva in aliquod bonum contra legem naturalem ferri queat, thesis resolvit, cuius

PRIMA PARS Certa est, & hîs verbîs à Divo Tho- LVIII.  
ma proponitur: *Dicendum, quod tam Angelus quam quæ-* Q. 63. 6.  
*cunque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, po-*  
*test peccare.* Estq[ue] de fide Angelos peccare posse,  
cùm defactò peccârint, *Angelis peccantibus non pepercit,*  
& : *in Angelis suis reperit pravitatem; nempe non justifi-* 2. Pet. 2.  
*cabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Non ait, ut adver- Job. 4.  
tit Bern. *omnis homo, sed omnis vivens, fortè, ut nè ipsos* Psal. 142.  
*Angelicos eum noveris spiritus exceperit,* quia nempe justi- Serm. 5.  
tia, ut idem habet, *non innata est eis, sed à DEO colla-* de Verbis  
*ta.* Et infra: *Justi sunt, sed ex eo, non coram eo.* RATIO  
autem esse potest, quia cùm primam morum regulam  
supernaturalem nempe legem æternam DEI ejusque  
rectissimam omnibus creatis superiorem voluntatem  
intuitivè non videant Angeli viatores, non necessi-  
tantur ad conformandos cum ipsa actus suos; ergò  
possunt actus suos illi difformare, sicq[ue] à morum re-  
gula deficere & moraliter defectibiles esse. RATIO  
autem secundæ partis est, tum quia alioquin eleva-  
tionis beneficium in damnum Angelis vergeret, si na-  
turaliter impeccabiles fierent in statu elevationis pec-  
cables, quod divinæ beneficentiæ derogare videtur.  
Tum quia, si peccari ab ipsis potest contra legem  
supernaturalem, cur nequeat contra naturalem, cùm  
æquè unam ac alteram intuitivè non videant, sive  
demum omnium prima regula sit divina voluntas, si-  
ve natura intellectualis, prout complexa divinam;

aliunde verò ordo supernaturalis naturalem imitatur; ergò sicut in uno sic in altero moraliter deficere possunt. Tum quia bono honesto tametsi evidenter cognito potest ab hominibus præeligi delectabile & turpe, juxta id: *meliora video, proboque, deteriora sequor;* ergò & ab Angelis. Tum quia de factò Angeli mali præceptis naturalibus de non mentiendo, non lædendo frequenter contraveniunt. Hinc quamvis Angeli naturâ suâ & physicè indestruibles sint, moraliter tamen deficere possunt, quia prius illud fundatur in naturæ simplicitate, & ab materiæ immunitate; posterius autem hoc in eo, quòd primam morum regulam intuitivè non cognoscant. Quamvis item Angeli naturalem objectorum honestatem & inhonestatem intellectu percipient, illamque bonam, hanc malam esse advertant, possunt nihilominus bonô honestô relictô amplecti dishonestum; neque propterea voluntas eorum in malum cognitum quà malum fereatur, sed objectum, quod novit propter legem naturalem prohibentem esse moraliter malum & dishonestum, eligit, ut physicè sibi bonum delectabile aut utile, atque ut tale, & non ut malum appetet illud.

LIX. *OBIICIES*: Cùm omnis peccans sit ignorans (*errant*  
*Prov. 14. enim, qui operantur malum*) ut Angelus peccaret contra legem naturalem, deberet habere ignorantiam & errorem circa naturalia; hanc non habet, cùm totam naturam comprehendat: ergò peccare contra legem naturalem non potest. Respondeo: quòd peccans non semper formaliter, sed nonnunquam *interpretativè* sit ignorans, quatenus videlicet ità agit, atque si non adverteret ad quædam, quæ si attentè consideraret, moraliter impossibile ipsi foret peccare, sicut si homo de-

debitè ad novissima adverteret, moraliter certus esset se non peccaturum juxta id : *memorare novissima tua, Ecol. 7.*  
*& in aeternum non peccabis*; interpretativâ ignorantia etiam Angelus laborare potest. REPLIC: Peccatum est formalis defectus voluntatis, peccans enim non modò sic se habet, ac si malè ageret, sed formaliter malè agit : ergò supponit formalem defectum intellectus, & non solum interpretativum. Respondeo : dist. cons. supponit formalem defectum in intellectu negativum seu inconsiderantiam conc. positivum errorem *nego cons.* Hujusmodi peccatum inquit S. Thomas Q. 63. a. loquens de peccato Angelorum, *non præexigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum, quæ considerari debent*, hanc autem nobis vocare placet ignorantiam negativam. URGEBIS: Angelo debita est comprehensio totius naturæ : ergò nequit habere circa naturalia ignorantiam negativam seu incogitantiam, quod enim actu comprehendit, de eo non potest non cogitare. Respondeo : Angelis deberi comprehensionem naturæ habitualem, hoc est, vim comprehendi, *omitto actualem & in actu secundo exercitam nego ant.* & cons. Homini debetur clara novissimorum notitia, naturaliter enim demonstrat se moriturum & præmia laturum vel supplicia, potest tamen pro libertate sua nolle ad illa pro dignitate advertere : idem ergò est de Angelis. DICES : Angelus fuit creatus naturaliter beatus, ut docet Div. Th. : ergò sicut super- Q. 62. a. naturali beatitudine beatus peccare non potest contra legem supernaturalem, sic Angelus naturali beatitudine seu illa, quam *assequi virtute suæ naturæ potuit*, beatus peccare non potest contra legem naturalem. Respondeo : Angelum creatum fuisse beatum beatitudine

tudine inchoata, & viæ statui proportionata, quæ definere potest, non verò consummata & propria termini, quæ sola sicut cum perpetuitate, ità cum morali simul & physica conjungitur indefectibilitate; quod à fortiori tenet de supernaturali Patriæ cœlestis beatitudine, nam hâc prædicti ipsam rectissimam DEI voluntatem, & exactissimam morum regulam, summumque, & purum bonum intuitivè cognoscunt, & ad illud amandum necessitantur. Verum quidem est, *naturale esse Angelo diligere DEUM ut naturæ authorem*, in eāmque tanquam sui esse naturalis principium ferri motu dilectionis & quidem appretiativè etiam majoris, quām in se ipsum, cùm naturale sit, ut id, quod est alterius secundūm naturam, principaliū feratur in id, cuius est, & ideo manus se exponit iactu pro conservatione totius corporis, & virtuosus civis pro conservatione Reipubl., quod ipsum ex inclinazione naturali faceret, si esset naturalis Reipubl. pars, ut benè advertit D. Thom. cum quo tamen stat, quod Angelus saltem post primum creationis instans se possit avertere à DEO ut *lege æterna*, & morum regula naturali, sicut defactò se averterunt multi ab ipso ut regula supernaturali.

Q. 60. a.  
5.



THE-

## THESES XIV.

*Angeli non habent voluntatem naturā suā seu physicē  
& ab intrinseco inflexibilem & immobilem secun-  
dūm speciem circa actus liberos, sed possunt propo-  
situm suum mutare, & electionem plena etiam &  
perfetta deliberatōne factam retractare.*

**P**RÆNOTO : Extra controversiam esse, quod Angelus flexibilis & mutabilis sit quoad exercitium actus, quia potest ab actu cessare eum abrumpendo, vel actum disparatum eliciendo, cum ad hoc vel nullum petatur motivum novum, vel si petatur, petitur mere disparatum, ad quod Angelus pro libertate, quam habet, exercitij advertere potest desertō priori. Præterea passim mutabilitatem etiam quoad speciem actus Angelicæ voluntati attribuunt, quando ex imperfecta deliberatione actum concepit. Negant solum Thomistæ, quod Angelus actum plena deliberatione semel positum retractare valeat, eique actum oppositum v. g. amori odium surrogare, videturque hæc fuisse mens Angelici Doctoris, cum expressè dicat : liberum arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque op. Q. 64. a. possum ante electionem, sed non post. Scotistæ tamen, Suarez, & qui qui nobiscum sentiunt, D. Thomam loqui putant vel de inflexibilitate morali, & non physica, vel de accidentalí ex divina dispositione & conditione statu oriunda. Neque vero commentitia hæc interpretatio est, sed omnino genuina videtur mentis Thomæ expositio, tum quia non simpliciter dicit obstinationem dæmonum (quam à naturali voluntatis

*Ibidem.*

tis immobilitate Thomistæ provenire censent) accipi debere ex conditione naturæ, *sed ex conditione naturæ statūs*, hoc est ex conditione statūs, in quem natura Angelica se spontè conjecit. Tum quia D. Th. assertiōnem suam fundat in authoritate Damasceni, dicentis hoc esse hominibus mortem, quod Angelis casum: ergò sicut, quod homines justi à morte nequeant peccare, & peccatores nequeant salutariter pœnitere, non ex physica & naturali voluntatis immobilitate provenit, sed ex ordinatione DEI unos post absolutum viæ statum in gratia confirmantis, alteros per denegationem auxilij salutaris negativè obdurantis, ita, quod Angeli post casum resipiscere non possint, & obstinati in malo maneant, non à physica voluntatis inflexibilitate provenit, sed ab auxilij denegatione. Tum denique, quia Damasc. manifestè nobis consentit, ait enim: *est natura Angeli vertibilis secundum propositum, seu voluntate mutabilis, nam omne creatum vertibile est*: ergò nequè D. Thom. hac authoritate nixus dissentit à nobis. Eodem modo intelligendus est Doctor Mellifluus, dum de Angelis desertoribus loquens ait: *sciebat nullam Angelis patere redeundi viam, & post pauca: superbia ejus penitentia remedium non admittit, ac per hoc nec venia. Et alibi: superbia lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur*; loquitur enim ex suppositione decreti divini de auxilio salutari ipsis negando, nam præmittit illa verba: *perire necesse est, penitere nolentes*, alioquin autem dixisset: *penitere naturā suā non potentes*. Hinc rectè Reverendiss.

*3. Part. q. D. Albericus Purghoff**20. a. 4. Dicend. 2.*

*hujus loci professus & Prior, postea verò novæ Cellæ, quod admodum celebre est Ord. Cist. in inferiori Lusatia Monasterium, Abbas in eum*

*2. de Fid. 6. 3.**Serm. 1. de adven- tu. In Can. 3.*

eum locum scribens in suo BERNARDO THEOLOGO hanc format sequelam : *sequitur Angelum non esse physice inflexibilem, cum quo*

PROBATUR Thesis : Angeli defacto bonam electio-  
nem mutaverunt in malam : ergò potuerunt & ma-  
lam flectere in bonam : ergò voluntatem physicè in-  
flexibilem non habent : hōc utitur argumentō noster  
ille Albericus : supponit nempe cum aliis Theologis,  
quibus nec ipsa Schola Thomistica adversatur, An-  
gelos primo instanti actum bonum v. g. amorem DEI  
elicuisse, & ad gratiam habitualem suscipiendam se  
ut gratiā actuali adjutos de congruo disposuisse. Ut  
tamen thesis firmetur amplius, sic ex ipsis Thomisti-  
cæ Scholæ principiis ulterius formo argumentum :  
propositum ex imperfecta deliberatione procedens  
potest Angelus mutare : ergò etiam procedens ex  
plena & perfecta deliberatione, cùm illud præ isto  
majori non gaudeat libertate, sed potius è converso.  
Respondebis : in priori posse advenire novum moti-  
vum contrarium, priori, & proinde movere ad actum  
contrarium; in posteriori verò, cùm in principiis  
certis fundetur, nequit accedere novum motivum  
priori oppositum : ergò neque actus oppositus elici.  
CONTRA est : ad eliciendum plena deliberatione actum  
Angelus non necessitatur : ergò neque ad eum con-  
servandum, sicut quia DEUS ad creandum non ne-  
cessitatur, nulla pariter necessitate stringitur ad con-  
servandum res creatas, admittuntque ipsi Thomistæ,  
quòd Angelus actum continuare non teneatur, sed  
ab eo cessare possit. Subsumo : atqui actum illum,  
ad quem Angelus non necessitatur, potest retractare  
& oppositum concipere : ergò potest actum plena

deliberatione positum mutare. Subs. prob. quando voluntas in actu non immobilitur, potest eum retractare, si enim non sit immobilis in eo, est mobilis ab eo, ut patet ex terminis, & à pari de actu semi-plenè deliberato; atqui in actu, ad quem non necessitatur, non immobilitur: ergò potest eum retractare. *Min. prob.* immobilitari in actu est necessitari ad eum continuandum: ergò ad quem continuandum non necessitatur, in eo non immobilitur. Respondebis: ad continuationem actus plenè deliberati non necessitari quoad *exercitium* secùs *quoad speciem*. Contra est primo: voluntas Angelica non necessitatür quoad *speciem* ad actum primo eligendum, supponuntur enim habere libertatem contrarietas: ergò nequè ad continuandum. Prob. conseq. Bonitas vel malitia objecti, circa quod se Angelus exercet, non est major primo, quam secundo & tertio instanti, suppono enim esse idem: ergò si primo instanti non erat tanta, ut voluntatem necessariò raperet, nequè erit tanta secundò & sequentibūs instantibūs. Cujus rei RATIO à priori est, quia illud solum objectum ad *speciem* necessitat, & consequenter voluntatem immobilitat, quod in se complectitur omnem rationem boni & clarè atque intuitivè est cognitum, si enim vel malo mixtum sit, vel purum quidem bonum, clarè tamen voluntati propositum non fuerit, non erit par excellendæ capacitat; atqui bonum, circa quod Angelus occupatur, vel non habet in se omnem rationem boni, ut bona creata; vel si habet ut bonum divinum, ab Angelo intuitivè non videtur: ergò nequit rapere voluntatem Angeli seu primo seu sequenti instanti.

CONTRA est secundò : Voluntas Angelica non necessitatur sequentibüs instantibus quoad exercitium : ergò neque quoad speciem. *Probat. cons.* Tum quia ideo sequentibus quoad exercitium non necessitatur, quia taliter non necessitatur primo instanti : ergò idem est de necessitate quoad speciem. Tum quia voluntas non necessitata quoad exercitium potest ab actu cessare : ergo etiam potest oppositum elicere, & ità ad speciem non necessitari. *Prob. cons.* Ille actus, à quo cessat voluntas, impedire nequit actum oppositum, quod enim non datur in rerum natura, nequit impedire vel resistere alteri : ergo si voluntas potest ab actu cessare, potest quoque oppositum elicere ; voluntas enim de se est sufficiens ad actum oppositum, cùm illum potuerit primò elicere, quando itaque non adest impedimentum, potest actum, ad quem sufficiens est, elicere. Cujus præterea RATIO est, quia voluntas una relatè ad idem motivum successivè sic se habet, sicut duæ voluntates simul se habent relatè ad idem motivum : ergo sicut duæ voluntates simul seu eodem instanti ex eodem motivo posse sunt, una quidem velle, altera nolle objectum, ità una eademque voluntas potest successivè ex eodem motivo objectum jam velle, jam nolle. Sanè à nolendo, quod priùs voluit, Angelum actus præhabitus non impedit, cùm desinere possit, ut dixi; neque DEUS, quia ipse ad malum non necessitat; non Angelica perfectio, quia potiùs incorrigibilitas & in malo permanentia derogat perfectioni; non modus intelligendi, ut enim jam magis jam minùs ad motivum advertere, sic jam plùs jam minùs ab illo potest moveri; non dispositio aut habitus ab actu relictus,

tum quia ab uno actu non generatur, tum quia iste facilitaret solum, non necessitaret. Hinc defacto Dæmon consilium suum in Christi passione mutavit prius suadendo mortem Christi, cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas, postea eandem dissuadendo, quando misit ad eum ( Pilatum ) uxor ejus dicens : nihil tibi, & justo illi, & Judæis persuasit, ut urgerent Chri-

*Joan. 13.* stum ad descensum : descend de cruce. Sera, inquit D.

*Serm. 1. in die Sancto pasche.* Mellifl. ducitur pænitentia, & quos instigavit ad crucifixionem, instigat ad suadendum, ut de cruce descendat. Propterea recte Iosiodorus negat naturam esse immutabiles Angelos, nam si naturam, inquit, immutabiles essent, Diabolus utique non cecidisset. Atque ex his sponte jam sequitur, obstinationem dæmonum non à voluntatis physica immutabilitate, sed à decreto DEI de auxilio ad salutariter pænitendum necessario ipsis negando provenire, sicut negatur hominibus finaliter impænitentibus, conveniebat autem dæmonibus post lapsum

*T. de con-tempitu mundi c. 9.* illud negari, sicut hominibus post mortem, nam in Angelis pravitas & districtius judicetur, necesse est, & inexorabilius quam humana, ut loquitur S. Bern., cuius rei rationem alibi dat istam, quia novit in affectum malitia & nequit transire Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse.

*Serm. 1. de Adventu.* LXIII. OBIICIES : Ut Angelus mutet electionem factam, debet ipsi occurrere novum motivum elidens vim prioris ; atqui supposita plena deliberatione & omnium motivorum ex principiis naturaliter certis erutorum consideratione nequit motivum tale occurrere : ergo. Maj. prob. voluntas, cum ab intellectu sibi per iudicium practice proponente objectum reguletur, nequit mutari, nisi mutetur iudicium ; hoc autem non

non mutatur sine motivo vel quoad substantiam, vel quoad modum novo: hoc est sine motivo vel distinctio à priori, vel sub eodem, sed sub alia apparentia proposito: ergo pariter neque mutatur voluntas, nisi novum motivum occurrat. Responderi posset ad mutandam electionem sufficere, si ad idem motivum jam magis jam minus attendat. Respondeo tamen secundò: *nego maj.* ut & maj. prob. ad rationem huic majori insertam dico, voluntatem regulari ab intellectu, ut primo, sic secundo instanti, hoc est ab intellectu indifferenter vel objectum *indifferens* non autem necessitans sibi proponente; aliunde verò actus primo instanti elicitus nequit impedire oppositum pro secundo, sed tantum pro primo instanti. DICES: ut quævis res naturaliter conservari exigit, sic actus semel elicitus inclinat in sui conservationem, ita, ut quod intensior est actus & motivorum consideratio perfectior, eò inclinatio illa sit major: ergo cum cognitio Angeli circa naturalia, consequenter & electio cognitionem sequens sit quodammodo summa, summa quoque erit in sui conservationem inclinatio quæ proinde revocari non poterit. Respondeo: quid tum, quod inclinet, modo non *necessitet* ad sui conservationem? alioquin nè quidem ab illius exercitio cessari posset. Urgebis: Nos non revocamus mox electionem factam, imò, quod sapientior est homo & perfectius deliberans, eò firmius inhæret electioni factæ. Respondeo: hinc ad summum probari inflexibilitatem *moralēm*, secus *physicam*; cæterū si electio male & contra conscientiæ dictamen atque majora à peccando retrahentia motiva, prout Angelis defactò evenit, est facta, etiam inter homines nullo acceden-

te novo motivo consilium mutare loco prudentia summa est, quod tamen electionem factam sappè difficulter statim retractemus, inde est, quia oriri solent motus partis inferioris in deterius inclinantes, quos subito cohære difficile est, quae res locum non habet in Angelis. *Repli.* Decreta Pontificum ex certa scientia & motu proprio emanantia firmissima sunt & perpetuo valitura, quia nimur omnia accurate sunt expensa motiva. Respondeo: decreta hæc, si sint circa materiam fidei vel morum immobili gaudere firmitate ob infallibilem Sp̄iritū S. assistentiam, cujus utique de creta titulō divinæ immutabilitatis mutari non possunt. *Duplic.* notam inconstantiae Angelus incurret propositum plena deliberatione suscep tūtans. Respondeo imo notā pertinaciæ, si à malo proposito non desisteret; si tamen à bonis cæptis deflesteret, inconstantiae notaretur; cur autem impossibilis illi inconstantia esse censeatur, cui peccatum mortale possibile esse scimus? *Tripli.* Judicium evidens sub iisdem motivis mutare non potest: ergo nec volitionem. Respondeo nego conseq. quia judicium procedit ab intellectu, quæ est potentia necessaria; volitio à voluntate, quæ est potentia libera, & ideo volitionem pro sola libertate sua mutare potest, neque opus est, ut per novam applicationem novum motivum occurrat, ut evenire hominibus frequenter solet, quibus familiaris est illa vox: *non prævidi, non putaram.*

**LXIV.** *Quæres:* An Angeli à peccando desistere quiverint, anque fuerint expectati ad pænitentiam? Respondeo ad primum: procul dubio actum abrum pendo desistere potuisse à peccato, spontaneâ tamen  
ma-

malitiâ in illo perseverâsse, *superbia enim eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, ex quo natum est illud D. Hier. *humanum est peccare, diabolicum perseverare.* Complures etiam putant Angelos apostatas potuisse elicere attritionem purè naturalem, & informem, quin & defactò *physicè* ipsis possibilem esse actum bonum purè naturalem, eò quòd in Angelis Dionysio teste naturalia *integra manserint & nitidissima*, qui eapropter, ut antè, sic post peccatum actus bonos naturales concipere possunt; quamvis verum tamen videatur eos vehementissima illa apprehensione, quâ ob acerrimos, quibûs torquentur, cruciatus DEUM ut severum Judicem apprehendunt, ad DEI odium *moraliter* necessitari. Cum quo nihilominus stat, ipsos continuo peccare, quia peccata, et si physicè possent, vitare tamen nolunt, suntque ipsis saltem voluntaria in causa, cùm non minùs quàm Adam pñnas peccato statutas præscientes tamen illud amplecti voluerunt; & præterea, quia peccata, in quæ homines inducunt, ipsis imputantur non quidem secundùm affectum, sed secundùm reatum, ut habet Div. Thom. dicens : *se. Q. 63. A. 8.* *secundum reatum omnia peccata in demonibus esse contingit, quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurunt.* Propter ista tamen peccata, cùm jam sint in viæ termino, novâ pœnâ essentiali non afficiuntur, sicut nec beati ob actus bonos novô præmiô essentiali donantur; illam solùm tristitiam, quam actus malus trahit, tanquam accidentalem quandam pñnam sponte sibi consuscunt. Respondeo secundò : probabilius non fuisse expectatos ad pñnitentiam salutarem, sed mox à lapsu negata ipsis esse omnia auxilia supernaturalia, sicut hominibus reprobis

probris post mortem. Tum quia, ut suprà ex Divo Thoma & Damasc. dixi, Angelis hoc est casus, quod hominibus mors. Tum quia Christus non erat Angelis Redemptor curativus, sed solis hominibus, & Scriptura dicit DEUM *Angelis peccantibus non pepercisse.*

*s. Pet. 2.*

Tum quia non est credibile nullum ex tanta multitudine, ad resipiscientiam Angelorum in justitia stantium cohortatione permovendum fuisse, si potentiam ad resipiscendum habuisset, cum tamen constet nullum defactò ad frugem rediisse; atque propter istam salutariter pœnitendi impotentiam Lucifer mox à peccato desistit esse in via strictè dicta & quæ esset conjuncta cum potentia finem ultimum obtinendi, et si maneret in via laxè sumpta, hoc est extra locum supplicij, & alios exemplò suò traheret in peccatum & ruinam. Neque DICAS: Angeli boni non statim fuerunt confirmati in gratia post primum instans meriti, sed in fine viæ seu post finalem perseverantiam: ergo mali non sunt mox post instans peccati obdurati, sed post finalem impœnitentiam, quæ post tres horas vel plura saltem instantia videtur posita, perversio enim in aliis exemplo Luciferi causata, & lucta Michaëlis cum Dracone & ambulatio in medio lapidum ignitorum ægrè intelliguntur paucis omnia instantibus per-

*Q. 63. a. 5.* acta. Respondeo: Antec: esse contra D. Thomam *& 63. a. 6.* sed omitto illud, nego conseq., quia meritum Angelorum nihil speciale præ merito habet hominum; ergò etiam quoad ipsos verum est: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* peccatum vero longè gravius est peccatis hominum: ergò *districtius illud iudicari est necesse,* ut nuper dixi ex Bernardo.

THE-

## THESIS XV.

*Angeli defactò primo creationis instanti benè & meritorie operati sunt, physicè nihilominus possibile erat, ut eodem, quo creati sunt, instanti peccarent.*

**P**RÆNOTO : quamvis, cùm tempus dicatur mensura LXV.  
motū secundū prius & posterius, tempus Angelicum, seu mensura motū Angelici extrinsecè & analogicè sumpta esse possit operatio Angeli ( non quidem physicè & secundū naturam ob dicta superius, sed moraliter & secundū dignitatem ) supremi; intrinsecè tamen Angelici temporis instantia esse ipsas Angelī operationes, quæ cùm spirituales, ac indivisibles sint, idcirco tempus Angelicum non continuum est, sed quasi discretum, meritis indivisibilibus constans, nempe operationibus sibi succedentibus; loquor autem de operationibus liberis, nam necessaria, ut est v. g. cognitio sui ipsius, Angelo dicuntur coævæ, nec tempore mensurantur sed ævo, quod medium est tempus inter & æternitatem, ut in physicis docetur. Ipsæ rursus operationes liberæ tunc solùm instantia temporis necessariò diversa constituunt, quando sunt incompatibilis, sibiique oppositæ seu quoad substantiam, ut amor & odium, seu quoad modum, ut amor ejusdem objecti intensus & remissus; quando autem simul stant, unum instans constituunt; hinc dicere: in primo creationis instanti Angelus mereri potuit aut demereri, idem est ac dicere: prima Angelī operatio vel simul stans cum prima potuit esse meri - aut demeritoria. Jam certum videtur Angelos defactò conditost

Ser. 5. v.  
 86. in cant.  
 tos fuisse in statu illius gratiæ, quam similitudinem DEI  
 vocat Bernardus, nempe gratiæ sanctificantis, cum  
 qua hic & nunc peccatum grave non potuit compo-  
 ni. RATIO autem est, tum quia S. Thomas ut probabi-  
 lius - & magis dictis Sanctorum consonum esse dicit, quod  
 Serm. 5.  
 de verbis  
 Iaiae.  
 fuerunt creati in gratia gratum faciente, & S. Bernardus  
 docet justos esse ex eo, nempe DEO, & munere ejus.  
 Tum quia illa scripturæ Verba : tu signaculum simili-  
 dinis - perfectus decore, in deliciis paradisi DEI fuisti, omnis  
 lapis pretiosus operimentum tuum - - - perfectus in viis tuis  
 à die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te, sub  
 typo Regis Tyri de Lucifero dicta PP. exponunt: ergo  
 post iniquitatem Lucifer amisit aliquid, quod in in-  
 stanti creationis habuit: non quid naturale, natura-  
 lia enim ex Dyonisio suprà manserunt integra: ergo  
 supernaturale cum iniquitate non componibile nempe  
 gratiam gratum facientem. Tum quia homo creatus  
 est in gratia, ut supponit Trident: dicens Adamum  
 justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, & ex illo script.  
 Eccl. 7.  
 Q. 95. a. 1.  
 Deus fecit hominem rectum: probat Divus Thomas:  
 ergo etiam Angelus ad eundem cum homine finem  
 ultimum ordinatus. Et denique hoc exprimere vi-  
 detur Concilium Senonense, inquiens: si quis dixerit  
 Cant. 7.  
 Joa. 8.  
 Diabolum non fuisse Angelum bonum à DEO factum, ana-  
 thema sit. Et ideo dum dicitur: Ille homicida erat ab  
 initio, non mathematicè id, sed moraliter est accipi-  
 endum, id est: prope initium mundi, quando ipsius  
 invidiâ peccatum intravit in mundum. Certum eti-  
 am est, quod si forma dignificans meritum saltem na-  
 turâ prior esse beat merito, Angeli non sint de  
 condigno meriti gratiam sanctificantem seu habitua-  
 lem, cùm principium meriti condigni non cadat sub  
 idem

idem meritum, qua de re suô locô dicetur. Quæritur solùm, an gratiam istam de congruo meriti sint & gloriā de condigno? & an potuissent meriti locō ponere demeritum? affirmat utrumque thesis, cuius

PROBATUR Prima pars: quia Angeli *ut auxiliō gratiæ actualis adjuti* se disposuerunt ad gratiam habitualem: ergo meritorie operati sunt, & de congruo gratiam meruerunt. Antec: est communis Theologicus Doctrina, tum quia melius est aliquid habere per merita, quàm sinè illis, DEUS autem non minùs quàm natura optimum defactō operatur. Tum quia primus homo se disposuit ad gratiam, docet enim S. Thom. *in primo instanti sue creationis primum hominem gratia concessisse*: ergo & Angeli. Tum quia homo adultus non consequitur gratiam in Sacramentis Baptismi & poenitentiæ, nisi dependenter à dispositione propria & extra Sacramentum dependenter à contritione tanquam merito congruo: ergò pariter & Angelus, qui cum homine adulto, non parvulo, debet comparari. Rursus: eodem instanti Angeli boni meriti sunt *de condigno* gloriā eliciendo v. g. dilectionem DEI super omnia, quam significaret gratia gratum faciens eodem quidem instanti, *naturā tamen prius existens*: ergo. Ante c: prob. nam condigne mereri potuerunt, potest enim merito de congruo conjungi actio de condigno meritoria, cùm non sint incompossibles & defactō sic meriti sunt, quia *nemo coronatur nisi qui legitimè certaverit*; Angeli autem boni ex Divo Thoma statim post primum instans coronati sunt gloriā: ergò jam primō instanti legitimè certarunt gloriā de condigno promerendo. Per alios autem PPres Angeli boni in præmium perseverantie & constantie gloriā sunt adepti; *con-*

LXVI.

<sup>2.</sup> Tim. 2.<sup>Q. 62. 40.</sup><sup>5.</sup>

Aug. de

Corr. &amp;

grat. c. 10.

<sup>6.</sup> 11. Gre-

gor. hom.

7. in Ezech.

Damasc.

<sup>2.</sup> de Fide

constantia autem in bono supponit actum bonum præcessisse : ergò cum in secundo instanti fuerit constantia, præcessit in primo instanti actus bonus & condignè meritorius. Hinc primò ad gratiam habitualem se disposuerunt de congruo ( nam condignum meritum ante hanc gratiam vel aliquid illi perfectè æquivalens, ut est unio hypostatica , & secundùm quosdam Maternitas DEI, haberi non potuit ) & quidem omnes, quia cum summa facilitate summum ijs bonum est propositum, in cuius proinde amorem *moralis* necessitate rapiebantur ; quia nihilominus *physicaliter* fieri potuit, ut gratiæ dissentirent, ideo adhuc, specialis beneficij fuit, quod omnibus gratia actualis prima efficax fuerit collata. Hinc secundò boni eodem instanti de condigno meriti sunt gloriam, quia ad hoc satis est gratiam habitualem naturâ præcessisse.

Tertiò : Licet connaturaliùs sit, ut habitus infusi, qui sunt proprietates gratiæ, sint causa actuum, quando habentur, secus tamen est, si nondum habeantur, ut fit ante actum primum, qui proinde potest esse causa meritoria de congruo gratiæ & habituum.

*s.1. Civ. c. 9.* Quartò : dum S. August, dicere videtur Angelos bonos non fuisse peregrinatos à Domino, intelligendum est non fuisse peregrinatos per elongationem à DEO, secus per tendentiam ad ipsum, nam revera in statu viæ erant, & meriti fuerunt capaces. Quintò : Angeli licet habuerint evidentiam de attestante, potuerunt elicere actum fidei saltem quoad *exercitium* liberum, stare enim cum hac evidentiâ saltem abstractiva libertatem fidei, docetur in - de fide. Cæterùm actum fidei etiam non liberum prælucere posse merito, patet à pari de visione beatifica Christi. Sextò : Chri-

stus se ad gratiam habitualē non disposuit, quia titulō unionis hypostaticæ, qui nobilior est, quam titulus meriti, tanquam naturalis illius proprietas ipsi debebatur: contrarium autem est de Angelis.

PROBATUR secunda pars: tum quia homo in primo LXVII. instanti usūs rationis sātem terminativo, si non in instanti initiativo potest peccare: ergo etiam Angelus in primo instanti creationis, æquè enim Angelus imo magis in hoc instanti præceptum, obligationem, objectum, & reliqua omnia cognoscit, atque homo in instanti terminativo usūs rationis. Neque obstat, quod in homine usum rationis præcedant multi actus indeliberati ad formandum dictamen defectuosum disponentes, non obstat, inquam, quia in ordine ad meritum vel demeritum, eo ipso, ac indeliberati sunt, purè materialiter se habent. Tum quia si Angelus primo instanti voluntate sua potest uti, cur eādem non posset abuti? Tum denique: Potest primo instanti mereri, ut est ostensum: ergo pariter potest demereri, & peccare. Prob. conseq. habet illo instanti omnia principia libertatis tam ad merendum quam demerendum, nempe voluntatem, concursum DEI indifferentem in actu primo, absentiam impedimenti, alioquin neque mereri potuisset, si aliquo libertatis constitutivō caruisset, cùm de ratione meriti pariter sit libertas: ergo sicut mereri, ita potuit demereri. Antec: iterum prob. omnia illa principia habuit instanti sequenti: nam re ipsa peccavit: ergo etiam primo instanti, cùm in primo æquè fuerit liber, libere enim meritoriam actionem exercuit, ac sit liber instanti sequenti, ac proinde sicut in hoc, ita in primo capax erat præcepti rigorosi & transgressionis ejusdem.

dem. *Neque dicas DEO imputatum iri tale peccatum.*  
 Nam *Contra* est, si enim peccatum secundo instanti  
 commissum non imputatur DEO Angelum conser-  
 vanti, cur imputetur peccatum primo instanti ab An-  
 gelo liberè patratum DEO Angelum producenti?  
 Notanter verò dixi *physicè* id possibile esse, nam com-  
 munis & vera sententia est *moraliter* id impossibile  
 fuisse primò instanti. Tum quia defactò omnes uni-  
 formiter benè & nulli male operati sunt, & ideo à  
 Scoto illud instans vocatur *instans informitatis*; quod  
 autem in tanta multitudine eventu prorsus uniformi  
 contingit, dicimus fieri ex morali necessitate: ergó.  
 Tum à priori, quia Angelo primo instanti debetur &  
 datur cognitio inter naturaliter debitas perfectissima  
 finis ultimi & boni honesti ut præferendi bono dele-  
 tabili, prima enim cognitio prævenit usum liberta-  
 tis, & necessariò in eam Angelus erumpit; causæ au-  
 tem necessariò operanti debetur effectus saltem pri-  
 mus & maximè immanens ad minus tam perfectus,  
 quam perfectus est ullus ab ipsa producibilis, estque  
 velut naturalis causæ proprietas; Jam autem cum  
 cognitione tam perfecta motivorum ad bonum hone-  
 stum inclinantur & à malo retrahentium moraliter  
 impossibilis est volitio peccaminosa, sicut v. g. cum  
 cognitione perfecta novissimorum hominis, cùm ma-  
 ximam illa cognitio proponat præponderantiam mo-  
 tivorum à malo abstractantium, ut sunt DEI bonitas,  
 æterna felicitas, damnatio, pulchritudo innocentiae,  
 temporalium bonorum labilitas &c. supra motiva ad  
 malum allicientia: ergó.

LXVIII. **OBIICES:** Primo instanti Angeli habuerunt gra-  
 tiā sanctificantem, suntque meritorie operati: ergo  
 eo

eo instanti non potuerunt peccare. Respondeo : non potuerunt pro sensu composito gratiæ & meriti , seu potentia simultatis conc. pro sensu diviso & simultate potentiae nego conseq. DICES : peccato præire debet deliberatio & applicatio voluntatis , judiciumque practicum de bonitate & malitia ; hæc autem omnia uno instanti evenire non possunt : ergò. Primo instanti , quo existit judicium & deliberatio , nequit ijs coexistere peccatum. Respondeo : Peccato præire debere *naturā non tempore* , & sicut cognitio objecti necessaria & amor liber ejusdem eodem temporis instanti conjungi possunt , sic & illa antecedentia omnia. Hinc Doctor Angelicus inquit : *si sunt mutationes instantaneæ simul & in eodem instanti potest esse terminus primæ & secundæ mutationis* , & paulò post : *nil prohibet simul & in eodem instanti esse terminum creationis & terminum liberi arbitrii*. URGEbis : Illud peccatum DEO imputaretur , cùm enim sit actus secundus malus , supponeret actum primum malum , malum enim nequit nisi à malo prodire ; actus autem primus DEO imputaretur ut Authori : ergò & actus secundus. Respondeo : et si actum primum seu facultatem peccandi per omnia requisita constitutam , seu libertatem DEUS producat , nego tamen ipsi posse imputari peccatum , falsum namque est actum secundum malum prodire ab actu primo *formaliter* malo , sed potest provenire ab actu primo , qui sit potentia *indifferens* ad bonum & malum ; hujus autem DEUM esse posse authorem , manifestum est. REPLIC: primo : prima operatio tribuitur generanti , nam ex S. Thoma illa operatio , quæ L. c. simul incipit cum esse rei , est ei ab agente , à quo habet esse ; sicut moveri sursum inest igni à generante ; ergò si prima opera-

operatio Angeli foret peccaminosa, illa DEO Angelum producenti tribueretur. Respondeo dist. antec. prima operatio necessariò & naturaliter physicè vel metaphysicè ab agente emanans tribuitur generanti conc. prima operatio libera nego antec. & conseq. Neque aliud velle videtur Div. Thom., nam utitur exemplò motùs sursum igni ubique naturaliter inexistentis; & ideo licet eodem loco dicat: *impossibile fuit Angelum primo instanti peccasse*, adhuc tamen aliqui S. Doctorem explicare nituntur, volūntque locutum esse de impossibilitate morali, quam suprà astruximus, eò quòd alibi S. Doctor tradat neminem posse vitare omnia venialia secluso nempe speciali privilegio, & existentem in statu mortali non posse diu subsistere sinè novo mortali, & tamen etiam Thomistæ communiùs admittant has impotentias esse solùm Morales: ergò similiter hìc explicari potest de impossibilitate morali. Cæterùm si per Thomistas DEO physicè ad materiale peccati præmoventi peccatum non imputatur, cur imputabitur donanti liberum arbitrium primô instanti proximè expeditum? cùm hoc pactò solo titulô causæ universalis ad peccatum, quod impedire non tenetur, concurrat, minimè vero ad illud inducat, imò potenter atque ad bonum planè moraliter necessitando retrahat à peccando.

LXIX. REPLICABIS secundò: Perfectio & defectus artefacti v. g. horologii tribuitur Artifici: ergó etiam prima operatio Angeli DEO ipsum producenti. Respondeo nego conseq. quia artefactum non est agens liberum, sed mortuò modò suam seu perfectionem seu defectum recipit ab extrinseco agente: Angelus autem est agens liberum potens determinare se ipsum seu ad bonum seu

seu ad malum. REPL: Tertiò : qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam, ut fert adagium receptum : ergò DEUS, qui dat esse Angelo, dat etiam operationem immediate consequentem ad esse. Respondeo : adagium illud tenere de agentibus naturalibus, & de his quidem ita, ut non det privativè seu solus consequentia ad formam, sicut qui conservat formam v. g. ignis, non conservat solus, sed simul cum igne ea, quæ ad ignem consequuntur, neque ea DEO tribui possunt. RATIO autem est, quia agenti rationali & libero, quale est DEUS, ea solùm tribuntur, quæ vel immediatè concipit ipse, vel vult mediata & virtualiter virtualitate aut *objectivæ* vel *subjectivæ* determinationis *physicæ*, aut *objectivæ* vel *subjectivæ* determinationis *moralis*, ut si velit rem physicè connexam cum altera, vel connexam moraliter cum illa, qualiter v. g. familiaritas cum persona periculosa est moraliter connexa cum lapsu, atque hæc est virtualitas determinationis *objectivæ*; aut si volendo unum hoc ipso per se vult alterum, qualiter v. g. efficaciter volendo finem, vult hoc ipso media, vel volendo unum subit certum periculum de volendo altero, qualiter v. g. cogitando absque rationabili causa de vetito delectabili periculum subit illud appetendi, atque hæc est virtualitas determinationis *subjectivæ*; atqui DEUS nec ipse concipit immediatè actum peccaminosum, ut patet, neque virtualiter uno modo dictarum virtualitatum vult peccatum : ergò ipsi non tribuitur peccatum consequens ad esse & liberum Angeli determinationem. REPL: Quartò : Ante operationem malam voluntatis debuit præcessisse defectuosum dictamen practicum conscientiæ, quódque esset difforme

primæ morum regulæ, culpam enim voluntatis præcedit error intellectus, cùm voluntatem, quæ potentia cæca est, intellectus debeat prælucendo dirigere: ergò ei, qui hujus dictaminis est author, imputatur quoque culpa ad dictamen sequens. Atqui ejus dictaminis utpote primi DEUS est author, nè eatur in infinitum: ergò. Respondeo primò: quia actio libera componi potest cum necessaria, posset Angelus sibi sponte formare dictamen practicè errans eodem instanti creationis, quo DEI & sui cognitionem necessariò elicit. Respondeo secundò: dist. ant. debuit præcessisse dictamen propriè & positivè defectuosum per modum imperii vel consilii determinans vel inclinans ad culpam voluntatis nego, defectuosum negativè, hoc est, non proponens intuitivè regulam morum & per modum non omni efficaciâ dissuadentis, sed *indifferenter* proponentis primam morum regulam conc. ant. & nego conseq. Dictamen illud est valde perfectum, & potenter à peccato retrahit, non est tamen *physicè necessitans*, sed manet *indifferens* & *physicam* saltem libertatem relinquit.

LXX.

PRO RELIQUIS adhuc esto NOTAT: *Primum*: Sicut homo primo instanti usûs rationis, sic Angelus primo instanti creationis potest habere cognitionem practicam, & non purè speculativam objecti illiciti, quia potest habere cognitionem *indifferenter* objectum proponentem. *Secundum* qui peccat, practicè & interpretativè errat, ut nuper dixi, speculativus autem error & positiva ignorantia non requiritur, qui enim alias diceretur: *scienti bonum facere & non facienti peccatum est illi*: & : *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & -- non fecit -- vapulabit multis?* *Tertium* ut voluntas

Jacob. 4.  
Luc. 12.

Iuntas tanquam potentia, & quidem libera se reducat ad actum, non requiritur aliquod antecedens physicè præmovens, ut alibi est ostensum, sed potest indifferentia ipsius tolli per ipsum suum exercitium seu per determinationem ex vi actus exerciti oriundam, quando enim potentia se exercet, non manet in esse potentiae, sed in *exercitio potentiae*, seque ad actum reducit formaliter per ipsum actum. *Quartum* DEO concedenti auxilium sufficiens sed inefficax fore prævisum non imputatur peccatum, quia auxilium illud est indifferens, etsi à peccando potenter non retrahat: ergò minus imputabitur peccatum DEO ad dictamen *indifferens* & plurimum à malo retrahens atque moraliter necessitans ad bonum determinanti.

*Quintum*: Licet DEUS ponens Angelum, quem prævidet peccatum, ponat connexionem sed impedibilem ad peccatum ipsi tamen peccatum imputari non potest, quia præscientia peccati & productio Angeli sunt connexa cum peccato solùm *consequenter* & *impeditibiliter*, secus in *impeditibiliter* & *antecedenter*, alioquin DEO Angelum, quem peccatum prævidet, secundo instanti conservanti peccatum tribui deberet. *DICES*: Angelus primo instanti est speciale opus DEI producentis, ad quod per se sequitur peccatum: ergò DEO imputatur. Respondeo secundò instanti est speciale opus DEI conservantis, neque tamen peccatum Angeli DEO imputatur, quia nempe ad istud DEI opus non sequitur per se, hoc est: *necessarium* peccatum, sed solùm per se, hoc est: ex propria non DEI sed Angeli determinatione, & sic respectu DEI se habet per accidens, sicut usura respectu petitatis mutuum ab usurario. *Sextum*: Si natura unita

VERBO divino peccaret, DEO peccatum tribueretur, non quia est opus speciale DEI, sed quia *actiones denominativè sunt suppositorum.* *Septimum:* Gratia sanctificans vel auxilia supernaturalia concurrere non possunt ad peccatum ut tale, quia non sunt agentia libera, uti Angelus, & si concurrerent, DEO peccatum tribueretur, quia sunt ipsius speciale opus nulla propria gaudens libertate, sed seu accidentia & formæ DEO creaturam rationalem gratam facientes, seu auxilia ad actus, ad quos creatura per se non sufficit, adjvantia, ita, ut DEUS mediis illis opera naturam excedentia principaliter & cum inclinatione operetur, non verò se habeat purè permisivè, sicut se habet, dum ad peccatum Angeli à libertate Angeli determinatus titulò causæ universalis concurrit.

## THEISIS XVI.

*Occasio ruinæ Luciferi & Angelorum Apostatarum fuit unio hypostatica VERBI cum natura humana; peccatum verò proprium & characteristicum eorum erat superbia pro objecto intermedio respi- ciens dictam unionem; pro ultimato autem & prin- cipaliter intento propriam excellentiam.*

LXXI. **P**RÆNOTO: Probabile admodùm esse, quod Lucifer, qui primus perduellionis vexillum contra DEUM erexerat, vel inter supremos, vel planè supremus, puta dignitate morali & accidentalí, inter Angelos fuerit, ideo enim appellat eum Doctor Melifilus sideribus cunctis clarius micantem, & primum An-

gelo-

*Ser. 1. de Adventu.*

gelorum. Idemque supponit Doctor Angelicus ex D. Q. 63. a.  
 Gregorio, quem citat dicentem, quod primus Ange-<sup>7.</sup>  
 lus, qui peccavit, cunctis Agminibus Angelorum præ-<sup>Greg. hom.</sup>  
 latus eorum claritatem transcenderet. Videturque <sup>de centum</sup>  
 oviis.  
 huic opinioni suffragari scriptura, dum sub Persona  
 Behemoth Luciferum ait esse principium viarum Domi- Job. 40.  
 ni: hoc est, ut quidam interpretantur, primam &  
 præstantissimam creaturam. Et alibi sub typo Regis  
 Assur inquit de Lucifero: *Cedri non fuerunt altiores illo in Ezech. 31.*  
 paradiso DEI -- omne lignum paradisi DEI non est assimili-  
 latum illi & pulchritudini ejus. Neque obstat, quod  
 paulo antè dicatur Cherub extensus & protegens, nec ap- Ezech. 28.  
 pelletur Seraphinus, quia ut notavi num. XXIII,  
 non omnia dæmonibus nomina, quæ priùs habue-  
 runt, attribuuntur, sed aliqua tantum, ut Cherubin,  
 Potestatum &c. quia, ut habet Divus Thomas: *Hæc Q. 63. a.*  
*nomina sumuntur à scientia & potentia, quæ bonis malisque*<sup>9. ad 3.</sup>  
*possunt esse communia.* Iste porrò Angelus, ut cæteris  
 excellentior, sic ampliorem superbiendi materiam si-  
 bi conflans peccato suo aliis etiam causa fuit laben-  
 di, nam *cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum;* sive Apoc. 12.  
 id jam præstiterit suò præcisè exemplō, non quidem  
 propriè seducendo, sicut seducta fuit Eva credens se  
 re ipsa non morituram, sed inducendo & authoritate  
 sua ad defectionem animando; sive verbis & exhor-  
 tatione eis rebellionem persuadendo, non admodum  
 refert. Hoc tamen posterius censet Divus Thomas,  
 dum ita loquitur: *fuit aliis causa peccandi non quidem co-*<sup>Q. c. 2. 8.</sup>  
*gens, sed quadam quasi exhortatione inducens,* quod inde S. O.  
 Doctor colligit, quia omnes dæmones illi supremo  
 subduntur, & à Christo dicitur ignis æternus paratus Matth. 25.  
 esse Diabolo velut sceleris Authori, & Angelis ejus, habet  
 enim,

enim, pergit Divus Thomas, hoc ordo divinæ justitiae, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdatur in pœna secundum illud 2. Pet. 2., à quoquis superatus

*Ser. 1. de Adventu.* est, huic servus addictus est. Consentit S. Bern. Filium DEI loquentem inducens : Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum, qui sibi crederet, habuit;

*Naz. Ca-* credere autem supponit prædicationem. Idem sen-  
*Jariens.* tiunt alii PP., dum eum ducem sceleris & magistrum,  
*Orig. Am-* ducem suggestionis, motorem seditionis appellant. Et in-  
*bros.*

*Ezech. 28.* nuere videtur scriptura, dum dicit : in multitudine ne-  
gotiationis repleta sunt interiora tua iniquitate ; negotiatio  
autem fert curam sollicitam motiva & rationes ex-  
quirendi & proferendi. Ut verò nunc ostendatur,  
quænam præcipua petra scandali & lapis offensionis  
apostatis illis fuerit.

*LXXII.* PROBATOR Prima pars Thesis & explicatur : vero-  
simillimum est, quod Christus in carne venturus fue-  
rit ab initio mox creationis Angelis revelatus quoad  
substantiam præscindendo à circumstantiis, pass- vel  
impassibilitatis, quod idcirco addo, ut abraham ab  
illa quæstione : An Christus venisset, nécne, si Adam  
non peccasset ? RATIO factam fuisse ipsis hanc reve-  
lationem est ; quia Christus non minùs est Caput An-  
*Coloss. 1.* gelorum quām hominum, est enim primogenitus omnis  
creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cælo & in  
terra -- sive throni sive dominationes -- & ipse est ante om-  
nes, & omnia in ipso constant : ergò sicut hominibus, ut  
Adamo & Prophetis ante adventum suum est reve-  
latus, ita & Angelis, decuit enim, ut caput suum eti-  
am Angeli nōssent, quodque re ipsa noverint, colligi-  
videtur etiam ex illa post commissum in cælo prælium  
*Apoc. 12.* gratulatione : Nunc facta est salus, & virtus & regnum  
DEI

*DEI nostri & potestas Christi ejus*, ubi satis clarè innui  
videtur victoriæ causam fuisse ipsum etiam Christum,  
utique agnatum & in animi præparationie adoratum.  
Neque OBSTAT huic revelationi, quòd à Paulo dica-  
tur *mysterium*, quod absconditum fuit à *sæculis*, nam Paulus *Coloff. I.*  
aliud non vult, quàm quòd homines ante Christum  
non habuerint tam claram & explicitam de Christo  
notitiam ac Apostoli & nos in in Evangelio habe-  
mus; ut patet ex ipso Apostolo alibi sic loquente:  
*Quod aliis generationibus non est agnatum filius hominum, si-* *Eph. 3:1*  
*cut nunc revelatum est sanctis Apostolis: ergò de filiis ho-*  
*minum, non de Angelis loquitur.* DICES: tamen addit *V. 10.*  
inibi: ut innotescat *Principibus & Potestatibus in cælestibus.*  
Respondeo: sed addit etiam ulteriùs illa verba: per  
*Ecclesiam multiformis sapientia DEI*, hoc est: Angeli in  
novo testamento experiuntur miros & longè amplio-  
res hujus mysterii fructus, quàm experti sint in testa-  
mento & Ecclesia antiqua: ex quo proinde nequa-  
quam inferas Angelis negatam fuisse hujus mysterii  
revelationem. URGEBIS: S. Bernardus num. LVI. ci- *Ex 1. hom.*  
tatus docet excepto Gabriele nulli Angelorum hoc *super mis-*  
mysterium innotuisse, antequam Virgini revelaretur.  
Respondeo: Sanctum Bern. loqui de circumstantiis  
temporis, loci, modi, &c. quo peragendum erat hoc  
mysterium, & has Angelis ignotas fuisse, non verò  
ipsum DEI propositum de operanda per VERBI incar-  
nandi mysterium salute in medio terræ, *hoc enim &*  
*multis mortalium & præscire donatum est, & prædicere*, prout  
alibi S. Pater loquitur, dum se ipsum explicat & di-  
cit: *quòd potissimum tempus quemvè locum, vel modum, præ-* *T. ad Hu-*  
*cipuèque quam Virginem ad implendum propositum suum ele-* *S. Victore,*  
*gisset DEUS, si inquam hoc DEI consilium non de opere,* *c. 5.*

*sed de tempore loco, modo atque persona etiam sanctos ignorasse Angelos senserim & scripserim, profectò non video, cur incredibile videatur; ubi etiam rationem, cur in suo sensu abundet, producit, quia videlicet, sicut Angeli tempus ignorant novissimi adventus Christi, ità ignorare potuerint tempus adventus primi, dicique ipsi idem potuerit, quod Apostolis: non est vestrum nōsse tempora vel momenta.*

LXXXIII. RURSUM non verosimile solùm, sed certum est Angelos *lege naturali* obligatos fuisse ad Christum venturum adorandum. Aliqui putant *legem positivam* sed conditionatè ipsis latam de Christo adorando, si natura humana assumeretur, sic enim eos jam redi potuisse sollicitos de sui neglectu & vilipendio, eò, quòd superbi conditionata etiam sui humiliatione mirè moveantur, sicut nos homines conditionatis interdum desideriis afficimur, & timoribus sollicitamur: verùm hujusmodi præceptorum conditionatorum nullum in scriptura extat vestigium, & proinde ut exemplò, sic fundamentò carent. Alii rectius legem positivam ipsis absolutè positam asserunt, eò, quòd Apostolus dicat: *cum iterum ( per ly iterum alluditur ad generationem Christi temporalem ) introducit primo genitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli DEI.* Sed & huic opinioni ex Chrysost. & Orig. alii contradicunt. Unde nè his incertis diu immorari necesse sit, satis est dicere, *lege naturali* fuisse Angelos ad id obligatos, sicut si Rex aliquis sapiens ex arcanis, sibique soli notis, magnis tamen rationibus statueret ducere puellam plebejam, eamque ità ad regiam dignitatem evehere, omnes Aulici obligati essent eam ut Reginam revereri. Ex quo sic conficio argumentum:

tum : illud est occasio tametsi innocens peccati & ruinæ spiritualis , cujus occasione peccatur , & ruina incurritur ; sed occasione unionis hypostaticæ ut ad humanitatem terminandæ , seu Christi ut in natura humana venturi à Lucifero & asseclis peccatum est : ergò illa unio seu Christus erat occasio peccati & ruinæ ipsorum. Maj. patet , sic enim si quis de aula nobilis noluisset illam pauperculam de fæce plebis elevatam venerari ut Reginam , interpretatus hanc Regis dignitatem in nobilitatis præjudicium & injuriam cedere , non aliam superbæ inobedientiæ occasionem habuisset quam Reginam sic elevatam. *min. prob.* tum quia propterea tanta rabie Diabolus à Joanne describitur exarsisse in Christi humanitatem : *draco stetit ante Apoc. 12.*  
*mulierem , quæ erat paritura , ut cum peperisset , filium ejus devoraret.* Tum quia hoc pacto intelligitur , quomodo Christus , ut erat caput Reipubl. non solùm humanæ sed etiam Angelicæ , ità positus sit in ruinam & resur- *Luc. 2.*  
*rectionem multorum - - & in signum , cui contradicetur non modò ab hominibus sed etiam ab apostatis Angelis.* Tum quia id innuere videtur Hieremias ea exprobra-  
*tione : à saculo confregisti jugum - - dixisti non serviam* *Jer. 1.*  
*nempe Christo , hujus enim potestati post illud , quod factum est pralium magnum in calo , quod ex adverso* *Apoc. 12.*  
*stans & non armis quidem sed actionibüs intellectus & voluntatis atque rationibus pro gloria Christi depugnans Michaël & Angeli movebant , partâ jam vi- toriâ pœana triumphale accinebant , DEUM magnificantes , quòd nusquam Angelos apprehendit , sed semen ad Heb. 2.*  
*Abrahæ apprehendit.*

PROBATOR secunda pars : quia initium omnis peccati LXXIV.  
*est superbia , in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio , ut Eccl. 10.*

binis in locis loquitur scriptura; atqui certum est pri-  
mum peccatum fuisse peccatum Luciferi: ergo pec-  
catum Luciferi primum & characteristicum fuit super-

*Isai. 14.* bia. Atque hinc alibi dicitur: *detracta est ad inferos su-*

*Ezech. 28.* *perbia tua: & quomodo cecidisti de calo Lucifer, qui manè*  
*oriebaris? quia nempe elevatum est cor tuum in decore tuo;*  
*elevationem autem cordis esse superbiam notissimum*  
*est.* Passim in eam sententiam abeunt SS. PP. Duos

solum melleos Patres produco, Ambrosium sic lo-

*Int. epist. 83. ep. 33.* quentem: *sive in lapsu Diaboli, sive in prævaricatione*

*hominis initium peccati superbia est.* Bernardum verò sic:

*Ser. 37. de modo bene superbia Angelos depositum, potentes stravit, superbos dejecit.*

*vivendi. Neque Dicas,* quod Bernardus videatur Diabolo affe-

*Ser. 17. in Canticum invidiæ potius attribuere: ait enim Lucifer ...*

*generi nostro invidenter & ipse olei effusionem ( id est unionem*

*hypostaticam ) ut per se ipsum jam tunc indignabundus*

*muffitaret dicens intra se quoddammodo: ut quid perditio hec.*

Et paulò post: *vidit & in livore suo invidit, & molitus*

*est habere subjectos, socios designatus.* Respondeo præter-

quam quod S. Doctor dubitativè ea de re loquatur,

ait enim: *hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contra-*

*dicere dico, ne scio enim, præterquam inquam, quod du-*

*bitativè rem eam proponat, aliud S. Pater non vult,*

*quam pluribüs præterea malitiis peccatum Luciferi in-*

*fectum fuisse, invidiæ nempe erga genus humanum*

*devinctum sibi habentem nimium sui amorem usque*

*ad contemptum DEI juxta illud August. duo amores se-*

*cerunt duas civitates: amor sui usque ad contemptum DEI*

*Civitatem Babylonis, cuius caput est Diabolus: & amor DEI*

*usque ad contemptum sui civitatem DEI, cuius caput est Chri-*

*stus.* Principalis tamen characteristicæ formaliter &

*directè ultimò intenta, & velut antonomastica mali-*

tia erat superbia, prout paucis interjectis ipse se explicat Bernardus dicens : *et si invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati superbia,* quia nempe initium illud peccati & famosa cordis elevatio aliud esse quam superbia non potest. RATIO autem præterea est, quia primum peccatum non erat *luxuria spiritualis* stans in amore amicitiae erga se ipsum, <sup>In 2. diff.</sup> contra quam voluit Scotus, *Angelus enim non est fornicator aut ebriosus, neque aliquid hujusmodi*, ut loquitur ex <sup>6. q. 2.</sup> <sup>August. 14.</sup> <sup>Civ. Tho.</sup> August D. Thomas, & quia sicut non datur spiritualis concubitus, sic nec luxuria spiritualis, hoc enim vocabulum spurciis carnalibus est appropriatum, fortiturque delectatio pro objectorum diversitate nomina etiam diversa, ita videlicet, ut delectatio inordinata in propria excellentia dicatur *superbia*, in honoribus *ambitio* superbiæ filia, in cibo & potu *gula*, in objecto venereo *luxuria* appelleatur: ergò denique primum peccatum est superbia, *est enim superbus & invidus*, ut habet l. c. D. Thom.

PROBATUR etiam tertia pars : superbia Diaboli in LXXV. eo steterat, quod affectaverit esse DEUS, sed hujusmodi superbia pro objecto intermedio habet unionem hypostaticam, pro ultimato verò propriam excellentiam: ergò Maj. tradit August. apud S. Thomam, ait <sup>Aug. 1. de q. q. vet. test.</sup> enim, quod elatione inflatus voluit dici *DEUS* non quidem per aequiparantiam, sed per similitudinem, ut explicat Divus Thomas. non obscurè eam maj. etiam <sup>Q. 63. a. 2.</sup> insinuat scriptura : ut : *in cælum conseruandam, super astra Isai. 14. DEI exaltabo solium meum - - ascendam - - similis ero Altissimo.* Et alibi sub Persona Principis Tyri : dixisti : *DEUS ego sum, & in cathedra DEI sedi.* min. itaque <sup>Ezech. 28.</sup> probatur : illa superbia Diaboli non habuit pro obje-

et ipsam in se Deitatem, quasi verò affectasset esse DEUS per identitatem: ergo habuit pro objecto unionem hypostaticam, ita ut appetierit esse DEUS per unionem: consequens autem ex hoc est, quod pro objecto ultimato habuerit propriam excellentiam, qui enim summè excellenti cupit assimilari atque super omnes exaltari, habet sanè pro immodici desiderii sui objecto propriam excellentiam, inque nimio ejusdem excellentiae sibi indebitæ amore ultimò sistit velut in supremo præriorum actuum complemen-  
to primitùs statim intento, à quo reliqui actus v.g. philautia, indignatio adversùs DEUM-Hominem &c. si tamen executione erant priores, denominantur *superbia*, actus enim solent non à primis complacentiis vel inefficacibus desideriis, sed ab ultimis comple-  
mentis tales aut tales denominari. Ant. iterum ha-  
bet Divus Thomas tum quia sic Diabolus appetiisset suum non esse contra naturale desiderium, quô una-  
quæque res fertur in conservationem sui esse; tum maximè, quia naturali cognitione evidenter cognovit impossibile esse, ut *ens ab alio fiat identice ens à se*: ergo evidenter pariter cognovit id esse inappetibile. Certè etiam inter homines rideretur ut mente captus, qui rei, quam evidenter sciret ab intrinseco impossibilem esse, desideriò teneretur. Consequentia nuper-  
na jam benè sequitur: sie enim appetiit esse DEUS, & non per identitatem: ergo per unionem, sic enim planè *similis Altissimo*, quod voluit, erat futurus, sic que illud adepturus, quod molitus est habere, nem-  
pe homines subjectos non socios, ut nuper ex S. Bern.

Bern. ser. 7. in cant. non decet esse concives, & siquidem præsumpta ascensio, seſſio-

*seffo que significat Magisterium*, ut advertit mellifluus Pater, eam etiam cum Altissimo similitudinem obtentus erat, ut quemadmodum ille super Cherubin sedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipse altius federet, regeretque genus humanum. Verosimile profectò est, quod Lucifer, ut erat utcunque similis DEO in bonitate perfectus decole; & sapientia plenus sapientia, sic ambiret esse similis in potentia & dominio super alios. Neque appetiisset hoc pacto suum non esse, sed solum infinitè perfectius complementum sui esse seu personalitatem Divinam; quæ res maximè appetibilis est, & rationali ac saltem elicito appetitui convenientissima.

DICES : Angelus supposito decreto favente natu-LXXVI;  
 ræ humanæ sciebat impossibile esse, ut natura Angelica ab hypostasi Divina assumeretur : ergo sciebat hoc sibi esse inappetibile : ergo hoc non appetiit. Respondeo sciebat impossibile esse, ut vi ejusdem decreti vel consequenter ad decretum assumeretur conc. ut vi alterius decreti vel antecedenter ad istud assumeretur nego antec. & sic cons. Angelus non petiit mutari decretum immutabile, hoc enim esse impossibile atque adeo & inappetibile noverat evidenter; sed cupiebat antecedenter non fuisse conceptum hoc decretum, quod interpretabatur in *sui vilipendium & contumeliam* esse conceptum, & ideo nolebat se huic decreto divino submittere, nec volebat Christum revereri, adorare, nec præclaras suas illi dotes reverenter subjicere ; hinc illud Joan. 8. *Ille erat homicida ab initio.* Rupertus explicat de homicidio in DEI filium, cui negatam volebat & antecedenter ablatam unionem hypostaticam tanquam vitam divinam. Atque

Lib. 8. in  
Joan.

que in hoc stabat immensa illa ipsius superbìa contra JESUM CHRISTUM in nimia sui aestimatione

*Psal. 72.* radicata, & iniquitas illa, de qua scribitur : *prodiit quasi ex adipe ( excellentiae propriæ ) iniquitas eorum, transferunt in affectum cordis.* PETES : cur objectum superbiæ Angelicæ non potius dicitur fuisse beatitudo naturalis vel supernaturalis viribus naturæ obtainenda,

*Q. 63. a. 3.* quæ est sententia S. Thomæ, sic enim habet : *in hoc appetiit esse similis DEO, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali - - vel si appetiit illam DEI similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ?* Respondeo salvâ reverentiâ Divo Thomæ debitâ dupli ratione nos hic ab ipsius opinione diduci ; quarum prima est contra primum membrum, quia si Angeli naturali beatitudine, in qua conditi sunt, & sic sua veluti forte contenti vivere voluissent, omittendo inquirere altiora se, peccâssent solùm peccatô omissionis, vel certè accidiæ, neque *superbi* sed *pusillanimes*, suarumque rerum incurii dicendi fuissent, cùm tamen scripture & PPtres superbiam gravissimis verbis ubique exagge-  
rant. Secunda ratio contra secundum membrum est : quia ipse S. Thomas docet pluribus in locis in Angelis positivum errorem dari non posse ; si autem judicarent beatitudinem supernaturalem obtineri posse viribus naturæ, positivè utique errarent, & in hæresim Pelagii prolaberentur : ergò in principiis D. Thomæ hoc judicare non possunt, consequenter nec appetere, utpote impossibile. Deinde in nostris principiis possibilem Angelis errorem ponentibus, certum est, quod non possint Angeli judicare duo contradictoria esse

esse simul vera; hoc autem facerent, si supernaturalem beatitudinem viribus & meritis naturae se obtinere posse existimarent, judicarent enim hoc ipso illam esse *supra naturam* utpote supernaturalem, & simul *non esse supra naturam*, quia viribus naturae assequibilem: ergo non possunt velle virtute naturae consequi beatitudinem supernaturalem, atque adeo hæc non erat objectum primarii ipsorum peccati.

## THESES XVII.

*Dæmones cruciantur in inferno veris modis à vero & reali igne, ita ut materialis ignis tanquam instrumentum à DEO obedientialiter elevatum physicè in ipsis producat qualitatem spiritualem doloriferam, eorumque afflictivam.*

**P**RÆNOTO: Dæmones expleto viæ tempore (quod LXXVII. breve quidem ex PP. & DD. non tamen instantaneum erat, eò quòd uno saltem instanti Lucifer bonus fuerit juxta id: *ambulasti perfectus in viis tuis*, & persuasis aliorum moram denotet intervenisse) statim perduellionis pœnas dedisse cælō exturbatos, nam ut inquit D. Mellift. continuò Patris zelus vindicavit in illum, *Serm. 1.* percutiens eum pariter cum omnibus suis plagā incurabili, *de Adven.* castigatione crudeli. Hæc castigatio dupli poena consummatur, unâ *essentiali*, quæ dicitur poena *damni* stans in privatione visionis beatificæ & bonorum annexorum, respondetque peccato, in quantum hoc est *aversio à DEO*. Alterâ *accidentalı*, quæ dicitur poena *sensus*, & respondet peccato, ut hoc est *conversio ad creaturam*.

Non dicitur quidem eo pacto pœna sensus quasi sensatione percipiatur, dæmones enim ut sensu corporis reo, sic sensatione carent, & ideo Divus Thomas docet, quod dolor gaudium & hujusmodi, secundum quod sunt passiones, in dæmonibus esse non possunt, sed dicitur pœna sensus, quia est perpessio alicujus mali positivi proveniens ab objecto extrinseco & sensibili, sive jam cruciatus damnatorum spirituum proveniat à re illa sensibili per solam sui allegationem ad eam rem, ut communiter tenent Thomistæ, & favet D. Thomas docens dolorem in dæmonibus esse simplicem actum voluntatis, seu *renisum ad id, quod vel est vel non est.* Sive proveniat à re sensibili & corporea per veram & realem in spiritus actionem, ut ponit nostra thesis. Qua-  
liscunque vero illa pœna sit, certum est fore eternam,

*Math. 25.* nam ibunt hi in supplicium eternum. *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, quæ verba usque tertio alicubi Christus repetit, & damnatis accom-  
modat.* Paulus etiam ait: *qui pœnas dabunt in interitu aternas à facie Domini, quibūs aperte designatur non solum pœna secundum se, sed ut actu crucians, non enim dicitur simpliciter vermis dari sed vermis eorum, nec simpliciter dare pœnas, sed quod ipsi dabunt pœ-*  
*nas & quidem aternas, nam Diabolus & membra ejus, lib. arb. c. sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt pœnam declinare peccati,* inquit Bern. & idcirco sagittæ illic cruciantes non transibunt unquam, ut solent passiones hujus temporis, *sed erit vox tonitruis tuus, in rota æternitatis nunquam evolvenda* sicque *mors depascit eos, ut tamen non interimat, sed ad novos semper cruciatus servet.* Habeturque hæc fidei veritas definita in V. Synodo Gen., ubi damnatur error Origenis

nis docentis animas & Angelos de corpore transmigrare in corpus, & de statu infelice in felicem, vel è converso. Jam

PROBATUR prima pars argumentô Theologicô, quod enim verò & reali modô Diaboli ab igne torqueantur, videtur legitimè deduci ex duabus præmissis revelatis, quod ut palam fiat, formo sic argumentum : eodem divinæ ultionis instrumentô cruciantur dæmones, quô homines ; sed homines cruciantur vero & reali modo ab igne : ergò & dæmones. Maj. videtur esse revelata, quia maledicti jubentur discedere *in ignem eternum, qui paratus est Diabolo & An-*<sup>Matth. 25:41</sup> *gelis ejus.* Dicitur item Diabolus *missus in stagnum ignis Apoc. 20:10,* & sulphuris, ubi & bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sœcula sœculorum : ergo eodem instrumento Diaboli cruciantur, quo cæteri maledicti & quo bestia nempe Antichristus & pseudoprophetæ, qui sunt homines. Min. videtur similiter revelata iis locis, quibus dicitur : *vindicta carnis impii ignis & vermis, Eccl. 7:16.* *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sen-*<sup>Judith. 16:1</sup> *tiant usque in sempiternum.* Tum locis pro maj. addutis, & ijs omnibus, quibus in apoc. locus supplicii & cruciatuum vocatur *stagnum ignis*, possuntque pluratum Script. tum PP. etiam testimonia videri apud Suarez. conseq. autem legitimè sequitur : ergò. NEQUE dicas : quod ignis in scriptura accipiatur metaphoricè, sicut vermis, qui accipitur pro conscientiæ remorsu & memoria peccatorum potentissimè contrastativa, vel sicut August. illum Lucæ locum *crucior in hac flamma*, in sensu metaphorico intelligit, *talem, Luc. 16:10,* inquiens, *esse illam flammatum, quales oculi, qualis lingua, c. 10.* *qualis digitus, ubi erant sine corporibus animæ.* Et Greg. *15. moral.*

*Neque ignis aliquis perpetuis flammam corporalium, neque vermis est corporalis, Præterea meminit scriptura etiam frigoris, stridoris dentium, quæ per metaphoram dicere videtur. Denique Christus jis verbis : discedite in ignem, fortè solū explicat pñnam essentialē damni, sicut jis verbis : venite possidete præmium essentialē seu possessionem summi boni designat. Respondeo primo non desunt, qui ut probabile sustinent dari in loco perpetui supplicii veros vermes, qui fodicent corpora, & spiritus saltem per alligationem affligant. Sunt etiam magni viri, qui gehennam frigoris admittunt, nominatim S. Hieronymus inquit : duplēcēm esse gehennam, ignis & frigoris in Job planissimē legimus. locus autem Jobi iste est : ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, quamvis alii aliter Jobum interpretantur, dicantque eum solū velle, quod peccator ab uno peccato in aliud oppositum transeat. Respondeo secundò : et si vermis & alia in sensu improppio accipiāntur, ignem tamen propriè accipi debere, tum quia constanter locus supplicii per ignem & velut principaliter explicatur, tum quia nulla cogit necessitas ad sensum metaphoricum, est autem notum ex Trident. & August. scripturam in sensu proprio accipi debere, quamdiu ad improppium non cogit, vel clarius scripturæ testimonium vel ratio manifesta. Ad PPRes dico, eos vel subdubitasse, ut Augustinum, qui ait : *cujusmodi ille ignis sit, scire arbitror neminem.* Vel locutos fuisse de igne nostro usuali, qui indiget pabulō, vel de igne flammat lucidam habente, cùm tamen ibi sit *vax Domini intercedentis flammat ignis,* relinquentis igni vim veluti dimidiatam, hoc est vim urendi ad supplicium, non vim splendendi ad delicium. Et san-*

In c. 10.  
Matth.

Job. 24.

20. Civ.  
16.

nè Greg. ad quæstionem : *an ignis inferni corporeus sit?* <sup>4. Dial. c.</sup>  
*Respondet corporeum esse non ambigo.* Vel demum, si <sup>29.</sup>  
 aliqui PP. in opinione opposita fuerunt, aliud inde  
 non sequitur, quām non esse assertum nostrum certò  
 sed tantùm probabiliter de fide *quoad nos*, quia nihil  
 clarè hac super re habetur ab Ecclesia definitum, si-  
 cut quia licet illa quæstio, an in purgatorio detur ve-  
 rus ignis in Florent. proposita & tractata fuerit, non  
 tamen fuit definita, sicut nec à Trident., nec est de  
 fide *quoad nos*, quòd purgatio animarum fiat determi-  
 natè per ignem, fitque à Paulo ad Corinthios men-  
 tio tam *ignis* quām *quasi ignis*, ex quo loco aliàs pro-  
 bari solet purgatorium seu tertius locus. Ad id de-  
 dum de finali sententia Respondeo breviter Chri-  
 stum ibi usum synecdoche, & per partem significâsse  
 totam pænam & totum atque integrum præmium.

QUÆRES hic : quis sit ille locus torturæ sempiter-  
 næ per ignem futuræ ? Respondeo esse infernum in  
 medio terrarum circa ipsum centrum situm loco à  
 cælo empyreo Beatorum sede summè dissitum, respe-  
 ctivè ad maximam damnatorum multitudinem oppi-  
 dò angustum, *in quo nullus ordo sed sempiternus horror in-* <sup>Job. 10.</sup>  
*habitat*; non quòd dæmones non habeant aliquem in-  
 ter se ordinem, vocatur enim Diabolus à Joanne  
*Princeps hujus mundi*, & à Luca Beelzebub dicitur <sup>Jo. 14. C.</sup>  
*Princeps dæmoniorum*, servantque *quoad naturalia ali-* <sup>16.</sup>  
*quem ordinem*, quem ante peccatum habuerunt,  
*quod Christus ipse supponit apud Lucam*, ubi ait :  
*Si & Sathanas in sé ipsum divisus est*, *quomodo stabit reg-* <sup>Ib.</sup>  
*num ejus*? Sed quia hic ordo est secundùm quid, non  
 verò simpliciter talis, cùm enim apud dæmones sit  
 maxima deordinatio respectu ultimi finis, ideo sicut

non datur ordo mediorum ad hunc finem, ità non datur ordo simpliciter inter ipsa media. RATIO jam responsi petitur tum ex continua traditione, quam passim videre licet apud PP., tum ex Script. nam

*2. Pet. 2. DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, quod maximè continget post extremi & universalis judicii diem, post quem nullus seu hominum seu dæmonum ex illo subterraneo carcere & loco horroris egredi permitetur. Dico : post judicii diem, quia excepto Magno Diabolo, de quo scribitur, quod Angelus habens*

*Apoc. 20. clavem abyssi & catenam magnam in manu sua --- ligarit eum per annos mille, non prius solvendum, quām sub tempora Antichristi, sub quæ oportet illum solvi modico tempore hoc duntaxat excepto, reliqui fortè omnes per vices ex inferno emittuntur ad homines tentandos ( ità videlicet, ut DEUS tentationes seductionis purè permittat & faciat cum eis proventum, ut dixi Num. XXI. ) & propterea actu in aëre multi Diaboli*

*Eph. 2. morantur, nam à Paulo Diabolus appellatur Princeps potestatis aëris hujus, dicitque nobis esse colluctationem adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Hinc Bernardus ut indubitatum id supponit explicans illud cantici : transiliens colles, id*

*Ser. 54. in Cant. est : Diabolos, ait enim : in pœnam si quidem suam locum in aëre isto medium inter cælum & terram de cælo cadens sortitus est, ut videat & invideat, ipsaque invidiâ torqueatur scriptura dicente : peccator videbit & irascetur, dentibüs suis*

*fremot & tabescet. Imo ponit S. Pater plurimos ante judicii diem in tartara non præcipitari, sic enim loquitur : diffinita sed nondum promulgata sententia est. Deinde jam Diabolo ignis paratus, est nondum ille præcipita-*

*In transitu  
Malachie.*

*tus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari.* Idemque ex August. dicente, quod aér caliginosus est quasi carcer dæmonibus, usque ad tempus judicii, tradit Divus Thomas, vultque eo fine in aëre relinqui dæmones, ut indirectè procurent bonum hominis eum exercendo & impugnando, nè, inquit, tota-  
*liter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent,*  
*subditque dæmonibus duplicem locum pænalem de-beri,* unum ratione suæ culpæ, huncque esse infernum, alium ratione exercitationis humanae, & sic deberi illis caliginosum aërem. Sed post judicii diem omnes mali tam homines quam Angeli in inferno erunt, ut habet ibidem Angelicus Doctor.

PROBatur jam etiam secunda pars thesis: potest LXXX. DEUS elevare ignem infernalem & materialem ad physicè producendam in spiritibus damnatis qualitatem doloriferam, & defactò produci talem qualitatem eorum afflictivam afflictione pænalitatis ignæ suadet sacra authoritas: ergo defactò spiritus illi ita veris modis à vero igne cruciantur, ut ignis elevetur ad physicè producendam eam qualitatem. Prima pars anteced: tenet ex Philosophia, ex qua suppono dari potentiam quodlibeticam, *quoniam omnia serviunt tibi*, Pf. 118. ut ait Psaltes. Secunda pars constat ex proba prioris partis, in qua prudcta scripturæ testimonia planiùs accipiuntur, si de igne per veram actionem ad torquendum concurrente accipientur. Item ex Augustino sic loquente: *cur enim non dicamus quamvis miris, 12. Civ. 6. veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pænâ corporalis ignis affligi?* Prob. conseq. quia spiritus damnati non affliguntur sola imaginatione vel phantastica apprehensione, qualiter angi solent homines vel in som-

no vel in vigilia terribilium forti & vivida imaginatione; neque per *solam* & *nudam* alligationem ad ignem; neque qualitate aliqua gratiae sanctificanti opposita & substantiam spiritualem fædante: ergò affliguntur productione qualitatis *pænalitate ignea* afflictivæ. Hæc conseq. ex eo tenet, quia isti quatuor modi sunt, ad quos Authores recurrent, ut salvent pænam sensus spiritibus à DEO infligi solitam, si ergò priores tres non subsistunt, quartus subsistat, est necesse. Prob. igitur antec: per partes: primò non affliguntur sola imaginatione, tum quia, ut S. Gregorius habet:

L. 9. Mo-  
ral. c. 38. *inferni claustra* -- quos puniendos accipiunt, nequaquam pena  
*transitoria vel phantastica imaginatione*, sed ultione solida cruentant. Tum quia dæmones neque somniō occupari, & cum vera à falsis perfectè discernant, aut errare circa naturalia non possint, neque putare & imaginari possunt se terribilibus affici, quibus re ipsa non afficiuntur. Tum quia DEO suppetunt modi spiritus malos verè & non purè imaginariè cruciandi: ergò non affliguntur nuda terribilium & erronea imaginatione. Secundò: non cruciantur per *solam* alligationem, tum quia sic non *ab igne* sed ad ignem ab aliquo alio torquerentur, sicut qui ligatur ad columnam, non à columna sed ab aliquo alio ad seu prope columnam torquetur, alioquin etiam Turca ad Belgradum cæsus à Belgrado cæsus fuisset. Tum quia alligari est præcisè *indistare* ab igne, non verò cruciari in - vel ab illo; atqui damnati verè cruciantur & non præcisè indistant ab igne, scriptura enim vocat ignem infernalem inextinguibilem, quo paleæ comburuntur, & non præcisè, à quo paleæ indistant; SS. etiam PP. vocant hunc ignem *cruciantem & cremantem*, ut Cyprianus,

nus, urentem Cyrus, incendium perpetuum Ambrosius : ergò non cruciantur per solam alligationem & indistantiam, sed per hoc, quod indistent à corpore physicè cruciante & suô modō urente. Tertiò non torquentur qualitatem substantiam spiritualem fædante, quia hæc qualitas non explicat pænalitatem igneam, seu quā patientur ignem, cùm tamen scripturæ, si, ut jacent, accipiantur, supponant igneam pænalitatem.

OBIICIES : Spiritus est incapax ardere vel uri igne corporeo & materiali : ergò incapax affligi ab igne vero physica actione. Respondeo dist. ant. est incapax ardere & uri quoad unum effectum combustio-  
nis videlicet & corruptionis conc. quoad alterum effec-  
tum cruciatū nempe & torturæ nego ant. & cons.  
Non uritur spiritus ustione ferente alterationem sen-  
sibilem, utpote insensibilis, quia ignis infernalis devo-  
rans quidem est, sed non consumens & ideo dicitur :  
*in ira domini exercituum erit populus quasi esca ignis;* sicut  
tamen anima corpori unita, et si actionem ignis ma-  
terialis in se immediate non recipiat, sentire potest  
dolorem ustionis, sic spiritus purus uri potest seu tor-  
queri, et si actionem ignis non recipiat, dummodò  
recipiat qualitatem spiritualem illa actione produ-  
ctam, hoc enim sufficit ut affligatur ignea pænalitate.  
DICES : lapis est incapax affligi ab igne, ita ut sentiat  
dolorem igneæ pænalitatis : ergò & spiritus, cùm  
æquè parum sit sensitivus ac lapis. Respondeo nego  
cons. quia lapis utpote ens inanime & substantia non  
vitalis non est perceptivus seu doloris seu oblectatio-  
nis, cùm percipere sit vivere ; spiritus autem est per-  
ceptivus : ergò si ignis supernaturaliter elevetur ad pro-  
ducendam in ipso pænalitatem spiritualem confimi-  
lem

Item ustioni corporeæ, potest percipere dolorem.  
**URGEbis:** spiritus nequit esse albus: ergò neque ustus.  
 Respondeo nego cons. quia esse album est *effectus formalis* albedinis seu est ipsa forma materialis ut unita subiecto proportionato & capaci nempe materiali.  
 At verò esse ustum in sensu paulò ante dicto, est *effectus physicus*, in quo genere si quidlibet ad quodlibet, etiam ignis ad urendum spiritum elevari potest. **Repl.** Primò nequit oculus seu materiali seu spirituali visione intueri spiritum: ergò nequit ignis actione sua urere spiritum. Respondeo nego cons. dispar. est data in - de DEO, ubi de inelevabilitate oculi ad videntem DEUM, quia oculus & quævis potentia vitalis habet virtutem obedientialem *prædicamentalem*, & ut est *talis* potentia, unde si elevaretur ad vivendum in alio genere vitæ, elevaretur ad essendum id, quod non efferreturque extra totum suum objectum specificatum: econtra ignis habet virtutem obedientialem *transcendentalem* seu ut est ens DEO subiectum, eiisque serviens, nec elevatur ad essendum; quod non est, sed solùm ad agendum in genere physico, quod naturaliter agere non potest. **Replabis:** Secundò: Spiritus est incapax ustionis materialis: ergò etiam spiritualis. Respondeo nego conseq. quia jam dixi ustionem materialis importare alterationem sensibilem & dolorem sensatione perceptum, cuius spiritus sensibüs carens est incapax. Nihil hujusmodi fert ustio spiritualis. **Repl.** Tertiò: ustio fit receptione caloris ab igne producti, ut patet in anima unita corpori, quæ instantum dolorem ustionis percipit, inquantum calor in corpore receptus ad cuius consumptionem operatur; sed caloris ut & calefactionis seu denominatio-

nis

nis calidi spiritus est incapax : ergò & unctionis. Respondeo id totum verum esse de unctione materiali, secus de spirituali, quæ naturaliter ab igne non causatur, sed supernaturaliter determinante & elevante ignem DEO ad eam producendam. Neque elevatio isthæc etsi miraculosa & solum DEUM habens authorem ac causam per se, DEUM dedecet, quia non omne miraculum est beneficium ob Christi merita collatum creaturæ rationali, quin cum omnia DEO serviant, potest ipse esse Author supernaturalis non modo ut misericors Pater ad beneficiendum, sed etiam ut severus Judex ad plectendum.

DICES ADHUC : Dæmones per solam alligationem LXXXII.  
ad ignem cruciantur : ergò non per ignem physicè producentem doloriferas qualitates. Antec. prob. primò enim per alligationem verè & realiter cruciari possunt, quia est graviter ipsorum de honestativa illa alligatio ipsisque valde infamis, utpote commune hominibus naturâ inferioribus supplicium, sicut si vir clarissimis natalibûs ortus ligaretur ob delicta in transīstris remigum absque remigandi labore, verè & realiter & non purè imaginariè affligeretur, graviorque esset ipsi hæc alligatio pænæ, quam hominibus de fœce sit eadem alligatio conjuncta cum labore & laborum ærumnis. Secundò : aliter oportet affici dæmones pænâ sensū peccato, secundūm quod hoc est *conversio ad creaturas* debitâ, quam illâ pænâ afficiuntur homines, quia aliter dicta ad creaturas conversione peccant dæmones quam homines, nam homines peccant ita se oblectando creaturis, ut intrinsecè afficiantur actione & passione delectabilium, qualiter non peccant dæmones, quia cum corpore careant,

delectatione corporea intrinsecè affici non possunt, sed peccant per unionem aggregativam corporeis rebus dominando in ordine ad pravos fines suos : ergò sicut conveniebat homines delectabilibūs intrinsecè affectos puniri per qualitates ipsis intrinsecè inhærentes, sic conveniebat dæmones ob vim dominativam in corpora malè exercitam puniri per restrictionem naturalis *libertatis* seu servitutem & alligationem ad corpus igneum. Respondeo conc. dæmones *etiam* puniri per alligationēm tum ob rationes productas, tum

*Ils. 33.* quia dicitur : *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* ubi *ly cum igne* denotat alligationem ; & alibi

*Epist. Jud.* dicuntur *vinculis æternis sub caligine reservari*; vinculorum autem est ligare, & quidem ad ignem ligantur, tum ut simul per illum spiritualiter urantur, tum ut eodem cum hominibus, quibus dominari volebant, suppicio involvantur. Nego tamen, quod per *solam* alligationem torqueantur, quia sic non appareat, quomodo *pænalitatem igneam* sustineant, quam ponunt scripturæ. Ad primam probationem Respondeo eā alligationem probari, sed non *solam*, ut hactenus est ostensum. Ad secundam probat : Respondeo illā nimium probari, quod videlicet neque omnes homines igne crementur v. g. sybillæ, quæ corporali delectatione non peccârunt, sed superbiâ aut cultu idolorum. Prætero, quod dæmones omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur, contrahant reatum, cùm initio statim sui peccati dirâ invidiâ eò sint acti, ut apud se statuerent homines in infanda quæque peccata nequissimis suggestionibūs pertrahere : ergò & ejusdem poenæ reatum contraxerunt, atque hinc non modus conversionis sed ipsa ad creatu-

ras conversio pænalitate ignea perpetuò est castiganda. Cæterùm qui plùs peccârunt, plùs etiam torquebuntur, eritque ignis ille velut *rationalis* unumquemque pro merito cruciaturus DEO ad magis vel minus urendum pro qualitate delicti concursuro, nam pro mensura peccati erit & plagarum modus. Et : per quæ Deut. 25.  
peccat quis, per hæc & torquetur. Sicut fecit, facite ei, Sap. 11.  
quantum glorificavit se & in deliciis fuit. Jer. 50.  
Apoc. 18.

QUÆRES : An dæmones extra infernum in aëre exi- LXXXIII.  
stentes igne infernali actu torqueantur ? Respondeo :  
quamvis aliqui putârint dæmones ante judicii extre-  
mi diem igne non cruciari, eoque trahant nonnulli  
citata nuper ex Bernardo illa verba : *jam Diabolo ignis Serm. de*  
*paratus est, et si nondum precipitatus in ignem, verius nihil- Transitu*  
*ominus est omnes actu pænam ignis sustinere, nam* Malachia.  
*ut scriptura loquitur : absentes & præsentes similiter tor-* Sap. 11.  
*quebantur pro mensura videlicet sui quisque delicti.*  
Hinc S. Thomas ait : *dicendum est, quod dæmones, licet Q. 64. 6.*  
*non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aëre isto cali-* 4. ad 3.  
*ginoso, tamen -- eorum pæna non diminuitur.* Rationem  
autem asserti præmittit illam, quia bonorum Angelorum gloria non minuitur, cùm ad nos veniunr, neque honor Episcopi, dum actu in cathedra non sedet : ergò neque minuitur supplicium malorum, cùm loco supplicii actu affixi non sunt ; & ideo ex quadam glossa Jacob 3. infert S. Doctor, *quod portant secum ig-*  
*nem gehenna, quocunque vadunt.* Hinc dum dæmonia Christo dicebant : *venisti hic ante tempus torquere nos, & Matth. 8.*  
*alibi rogabant eum, nè imperaret illis, ut in abyssum irent Luc. 8.*  
( ex quibus locis quidam deduxerunt eos extra infernum minus torqueri, solâ nempe *invidiâ*, ut L. C. S. Bernard. dicit, & exilio è cælis sempiterno non au-

L. 6. tem igne ) hoc non eâ gratiâ fiebat, quasi minus extra infernum torqueantur, sed quia rabiei suæ & invidi furoris lenimen aestimant, si hominibus nocere possint, & econtra dolorem, si à documento hominibus inferendo arceantur, *hoc petierunt*, inquit Angelicus, reputantes sibi pœnam, si excluderentur à loco, in quo possunt hominibus nocere. Quamvis autem S. Doctor dicat ex eo dæmonum in aëre existentium pœnam non minui, quod sciant illam alligationem sibi deberi, ratio tamen probat non solùm per apprehensionem debitæ sibi & tempore suo futuræ alligationis eos torqueri, sed per verum ignem & quidem, ut ostensum est, verè & realiter, quia bonorum gloria, cùm ad nos veniunt, non minuitur præcise eo ex capite, quod considerent illum locum (cælestem) esse suum, sed ex eo, quia visione beatifica re ipsa actu fruuntur etiam dum ad nos veniunt: ergò similiter dæmonum poena non minuitur, non modò quia sciunt locum supplicii ignei sibi deberi, sed quia re ipsa actu sustinent ignem, quod fieri potest sive per hoc, quod portant ignem gehennæ secum, ut loquitur Divus Thom. suprà, sive quia ille ignis ut miraculosè in spiritum agit, sic elevetur ad agendum in distans. Atque ex his explicari potest S. Bernardus, quod nempe velit eos Diabolos, qui adhuc in aëre versantur, non habere complementum ultimum sui supplicii, quia nondum sunt præcipitati ad infernum, ut ibi constanter maneant, nondum privati potestate homines tentandi.



THE-

## THESES XVIII.

*Probabiliter sustineri potest Angelum esse physicè in loco per operationem ad extra circa corpora vel per passionem; metaphysicè autem est in loco per præsentiam spiritualem seu indistantiam ab illo.*

**P**RÆNOTO certum esse, quòd Angeli sint in loco LXXXIV. tum præsentia suppositi & substantiæ suæ, tum, ut operari circa corpora possint, præsentia virtutis; plurimorum quidem locus cælum est, aliorum aër, nonnullorum etiam infernus, ut est dictum; neque uni perpetuo adhuc loco sunt affixi, sed de uno in aliud moventur, ut ex sacris paginis constat, in quibus discessisse in cælum, apparuisse de cælo, descendisse super Christum feruntur. *Ascendunt ad vultum* Luc. 2.  
Ser. XI. in  
Pf. qui hab-  
bitat 1. *ejus, descendunt ad nutum ejus,* inquit D. Mellifluus. Si militer & Diabolus circuire, item circuisse & perambulasse terram, circuisse castra Sanctorum refertur, Pet. 5. Job 1. & 2. *venit in oratorium,* inquit Bern. dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, revisit officinas, ut nempe in choro devotionem, in thoro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officinis silentii virtutem virtutis inimicus extirpet. Verum nihilominus est, quòd sicut esse in loco equivocè convenit corpori & Angelo, ut habet Div. Q. 52. 4. 1. Thomas, ità etiam æquivocè conveniat ijs moveri secundum locum, corpus enim est in loco circumscriptivè, Q. 52. 4. 2. quia commensuratur loco, Angelus autem non circumscriptivè - - - sed definitivè, ut idem habet, unde oportet, quod etiam motus corporis secundum locum commensuretur loco - quia autem Angelus non est in loco, nisi secundum Q. 53. 4. 1.

con-

contactum virtutis, necesse est, quod motus Angeli in loco nihil aliud sit, quam diversi contactus diversorum locorum successivè, non simul, Angelus enim quantitate carens circumcludi loco seu figurari & contineri superficie corporis ambientis non potest, nam substantia incorporeæ sua virtute contingens rem corpoream continent ipsam & non continentur ab eo. Jam dum quæritur, per quid Angelus sit in loco definitivè ( hoc est, ita hic, ut non sit alibi, & quidem hic etiam totus in toto, & totus in quavis parte ) seu physica seu metaphysica præsentialitate ? idem est, ac querere, quæ sit ratio formalis, quâ Angelus seu physicè seu metaphysicè constituitur in loco ? sicut dum quæritur, per quid ignis calefaciat ? idem est ac quæ sit forma calefaciendi ? Conveniunt omnes metaphysicè in loco Angelum esse per præsentiam spiritualem seu indistantiam à loco, sive jam illa præsentialitas sit *denominatio extrinseca* proveniens ab ipsa substantia Angeli & loci simul sumptis sibiique coexistentibus, sive sit aliquid superadditum seu negativum seu positivum v. g. entitas absoluta vel modalis, quæ vocatur *ubicatio intrinseca*, qua de re Philosophi disputatione. Difficultas solùm est de præsentialitate physica, quam R.R. negant, Thomistæ affirmant haberi per operationem, vel si locus violentus sit per passivam detentionem, quorum opinioni probabiliter censeo posse adhæreri, Hinc.

LXXXV. PROBATUR Prima pars primò authoritate Divi Thomæ docentis locis citatis Angelum non esse in loco per contactum dimensionis quantitatis, sed per quantitatem virtualem, hoc est : per applicationem & contactum virtutis, ut loquitur, quæ applicatio, qui contactus habetur per operationem ad extra, ut aperte colligatur.

colligitur ex ipso S. Doctore, nam ubi docet duos <sup>Q. 52. A. 3.</sup>  
 Angelos non esse simul in eodem loco, hanc dat ra-  
 tionem : quia impossibile est, quod due causæ completæ sint  
 immediatè unius & ejusdem rei, ubi sanè loquitur de cau-  
 sis in actu secundo seu ut duplici actione totali influ-  
 entibus. Secundò ratione : DEUS est physicè in loco  
 per operationem ad extra : ergò pariter & Angelus.  
 Antec. videtur verum tum quia scriptura physicam  
 DEI præsentiam explicat per operationem, ut : *Si Psal. 138.*  
*habitavero -- etenim illuc manus tua deducet me. Non longè Act. 17.*  
 est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur &  
 sumus; tam quia PP. dicunt DEUM non esse æqualiter in omnibus, eò quod non operetur æqualiter in omnibus, ex quo descendit DEUM justis etiam phys-  
 icè magis præsentem esse, quam impiis, cum opere-  
 tur non solum quæ ad ordinem naturæ, sed etiam  
 gratiæ pertinent, in ipsis; hoc ipso autem, quod ma-  
 gis vel minus præsens sit per majorem vel minorem  
 operationem, est simpliciter præsens per operationem  
 simpliciter. Prob. itaque conseq. sicut DEUS ita An-  
 gelus utpote spiritus quantitatis expers nequit esse in  
 loco circumscriptivè & per commensurationem :  
 ergò sicut DEUS sic Angelus physicè in loco est per  
 operationem; cum enim figurari non possit, aut quan-  
 titativè loco concludi, nec per unionem informati-  
 vam corporis, ut anima, quæ per accidens ratione  
 corporis informati loco dicitur circumscribi, physicè  
 autem in loco esse saepe debeat, debet loco adhære-  
 re per operationem, dum nempe in loco connaturali  
 & libere vel per optatissimam detentionem est, nam  
 si sit in loco violento, tunc in illo detinetur per passio-  
 nem, ut dæmones in inferno, in quantum igni alli-

gantur, ab eoque patiuntur; si autem in loco, in quo  
detinentur, non cruciantur, locus ille potest dici ipsis  
esse *præternaturalis*, qualis erat limbus animabus PPrum  
ibidem detentis. DICES: operari sequitur ad esse:  
ergo operari in loco sequitur ad esse in loco: ergo  
operatio non constituit, sed supponit Angelum esse in  
loco. Respondeo conc. ant. dist. cons. ergo operari  
in loco sequitur ad esse metaphysicè & spiritualiter  
in loco conc. ad esse physicè in loco nego conseq.  
REPLIC: agens corporeum priùs est physicè in loco,  
quàm operetur: ergo & incorporeum. Respondeo  
nego conseq. quia corporeum agens in loco est per  
commensurationem & contactum quantitativum, qui  
prior esse potest actuali operatione: incorporeum  
verò quantitate carens nequit taliter esse in loco, sed  
per applicationem virtutis seu contactum actionis,  
qui sicut se ipsum non supponit, sic non supponit esse  
in loco, sed constituit. URGEbis: hinc sequitur agens  
incorporeum posse à se ipso distare, quia sicut potest  
operari circa duo corpora à se mutuò distantia, sic  
potest physicè esse in duobus locis à se distantibus sal-  
tem inadæquatius, quin physicè sit in medio, quod  
est distare à se ipso. Respondeo nego sequel: nam  
sequitur solum, quod una operatio posset distare ab  
altera & incorporeum agens possit esse physicè in  
duobus locis inadæquatius, non tamen, quod possit à  
se ipso distare, quia ut hoc posset, deberet nullo mo-  
do nè quidem metaphysicè & spiritualiter seu præ-  
sentia spirituali suppositi esse in medio, quod fieri  
nequit.

LXXXVI. Inferre ex his est primò: quod si Angeli sint in  
cælo empyreo non nudâ præsentia spirituali sui sup-  
positi,

positi, sed etiam physicâ, hoc ipso aliquid in cælo ad extra & actione transeunte operentur v. g. conferendo aliquid ad ornatum externum cæli, quamvis, quod illud sit, nos Empyrei qualitatum valde ignoros lateat. Vel quod alia operatione ad extra se exerceant v. g. influendo in mentem concivium suorum, quod non improbabiliter posse defendi dixi num. XXXV. suprà, quo tamen casu ipsis præter potentiam intellectivam volitivam & locomotivam attribui debet alia adhuc ad extra operativa, quódque ad extra aliquid præter motum localem immediate producere queant; authoritates in hoc oppositas explicare oportet ex loco citato. Vel certè dici potest Angelos in cælo esse non per actionem, sed per detentionem summè sui oblectativam determinante ad eam voluntate divina. *Infer* secundò: Angelos tutelares, dum prope clientes suos physicè sunt, eo ipso operari circa illos ingruentia undique seu vitæ seu salutis pericula ab eis removendo; si verò in cælum nonnunquam ascendant, curam suam ad ipsos continuò dirigunt parati pro quavis exigentia physicè adesse & opitulari, & quanquam tunc non habeant aëtu relationem ad suos tanquam *rei locatæ ad locum*, habent tamen relationem ordinis ad ipsos. *Tertiò*: Angelum pro libitu intra sphærā tamē activitatis suæ physicè esse posse in loco majori vel minori, prout nempe majori vel minore operatione vel circa majus aut minus corpus, aut etiam circa minimum naturale individui corporei se vult exercere. *Quartò* Posse item Angelum esse in duobus locis inadæquatis à se mutuò dissitis, quin physicè sit in medio, quia potest operari in hac & illa parte extrema spatii sphæræ activita-

tis Angelicæ, quin aliquid in medio operetur, & taliter fuisse videtur in pluribus locis, quando una no-  
 4. Reg. 19. Et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque  
 millia & Sennacherib Regem in fugam conjecit. Quinto: nequit tamen simul esse in duobus locis adæquatis non penetratis, quia si virtutem suam adæquate exerceat circa unum, non potest simul & semel eandem exercere circa aliud, cum enim virtutis sit limitata, exhaustur per effectum adæquatum. Sexto: non posse duos Angelos simul & semel esse in eodem loco adæquato, quia notum est ex Philosophia non posse eundem effectum dupli actione totali & adæquata simul & semel produci. Inferre est 7. Angelum posse absoluvi ab omni loco physico, & ita physicè nullibi esse, quo casu limitatus erit limite essentiæ & præsentientiæ spiritualis, non autem limite loci physicè spectati. Ratio autem est, quia si vult, potest nolle quidquam ad extra operari: ergò nullibi physicè esse, quod inconveniens non esse advertit D. Thomas ita loquens:

In 1. Sent. non reputo inconveniens, quod Angelus possit esse & non in  
 dist. 37. q. 3. a. 1. ad loco, quando nullam operationem circa locum habet, nec est  
 4. inconveniens, ut tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur,  
 sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore coloratus  
 dicatur.

LXXXVII. PROBATUS etiam secunda pars: esse alicui præsens præsentientiæ spirituali est alicubi existere seu ab aliquo indistare; sed Angelus eo ipso ac existit, alicubi existit independenter ab omni operatione ad extra: ergò est præsens metaphysicè & spiritualiter independenter ab omni operatione ad extra per solam præsentiam spiritualem, in quocunque demum illa stet. maj. patet, hoc enim intelligo nomine præsentientiæ me-

metaphysicæ & spiritualis. Min. prob. Angelus dum existit, non existit nullibi, neque existit ubique, alias existeret immensè : ergò existit alicubi, et si nihil ad extra operetur, sicut enim hoc ipso, quòd existat, est aliquid ens, & participat entitatem suam seu esse DEI, ità etiam est alicubi seu participat immensitatem Divinam, non *adæquate & totaliter*, sic enim esset ubique, sed inadæquate ità, ut existat alicubi & immensitati inadæquate coëxistat, sicut quia dum existit, non existit nunquam, nec semper, aliquando existit & participat inadæquate æternitatem divinam. An tamen ista indistantia & præsentia spiritualis consistat in ipsa entitate Angeli supponente *determinationem extrinsecam & causalem*? an in denominatione extrinseca petita ex Angelo, eaque re, à qua indistat? an in determinatione aliqua intrinsecè superaddita modali vel absoluta? Philosophis transcribo examinandum. Hoc tamen non est hìc prætereundum primò, quòd licet illi, qui præsentialitatem metaphysicam per solam entitatem Angeli haberi putant, ve- lint Angelum non posse esse metaphysicè in loco minori, quàm quod respectu ipsius est maximum, eò, quòd sicut entitas sic ista præsentialitas stare debeat in indivisibili; puto nihilominus Angelum etiam metaphysicè posse esse in majori vel minori spatio, quia potest à majori vel minori spatio corporeo esse indistans. RATIO est, quia potest circa majus vel minus corpus operari: ergò à majori vel minore corpore esse indistans, non enim distat ab eo, circa quod ope- ratur. Deinde anima, et si entitativè indivisibilis plus est extensa in homine viro quam homine puero: ergò pariter Angelus magis vel minus *virtualiter* extendi po- test;

test; & sanè aliàs, cùm indivisibili entitati indivisiibile punctum respondere possit, semper velut in punctum collectus esse deberet. DICES: Angelus se tantundem cognoscit, quantum potest: ergò metaphysicè est præsens loco, quanto potest. Respondeo nego cons. quia præsentialitas subest imperio voluntatis, sicut potentia loco motiva in humanis subest voluntati, non item intellectivitas; estque intellectio adæquans capacitatem intelligendi bonum naturæ intellectualis quà talis, unde si nullam intellectiōnem Angelus haberet, hoc ipso non viveret: præsentialitas autem maxima non est tale bonum, nam existerre Angelus posset, et si uni tantùm punto vel soli immensitati præsens & coëxistens esset. Secundò non debet prætermitti, quòd Angelus non possit simul & semel esse metaphysicè præsens duobus locis etiam inadæquatis ab invicem distitis, quin sit in medio, quia nequit distare à se ipso naturaliter, hinc summum miraculum reputatur, quòd corpus Christi *ad modum spiritualis presentiae* existens in Eucharistia sit simul in pluribus hostiis distantissimis. Tertiò: Possunt verò plures Angeli metaphysicè esse in eodem loco, quia possunt penetrari, sic integra legio dæmonum fuit in uno homine Luc. 8. Quartò: Nequit Angelus absolvī ab omni ubi metaphysico, quia dum existit, participat divinam immensitatem, estque ab ea falso actu indistans & virtute ab aliis.

**LXXXVIII.** QUÆRES: Quid de quando seu tempore Angelorum sentiendum sit. Respondeo primò: de quando seu duratione metaphysicè sumpta eodem modo philosophandum esse, sicut de ubi metaphysico, unde hoc ipso, quòd Angelus existat, jam æternitatem in-

ad-

adæquate participat, eiique actu condurat, aliis verò potentia & virtute, si nempe producantur; atque ab hoc quando absolvit non potest, cum hoc ipso ac existit, non existat nunquam, nec æternè: ergo aliquando. Respondeo secundò: cum duratio Angelica utpote finita plus distet ab æternitate DEI infinita, quam à nostro tempore pariter finito, plus explicari debet per analogiam ad nostrum tempus, quam ad æternitatem. Hinc Respondeo tertio: Cum nostrum tempus sit mensura motus secundum prius & posterius seu ut loquitur Divus Thomas: *numeratio prioris & posterioris in motu*, idcirco duratio Angelica debet esse hujusmodi mensura passiva secundum prius & posterius, seu existentia ipsius ut mensurata; unde sicut DEUS, qui est simpliciter tam in essendo quam operando immutabilis, non mensuratur secundum prius & posterius, vel si mavis, quasi mensuratur *æternitate* indivisiibili & immutabili ac simul semper tota existente; & sicut econtra sublunaria, quae tam quoad esse seu substantiam, quam quoad operari mutationi sunt obnoxia, mensurantur secundum prius & posterius, ita Angelus, qui naturâ suâ est immutabilis quoad esse seu substantiam suam, mutabilis autem quoad operationes, mensuratur aliquâ mensurâ secundum prius & posterius, quae nempe media sit inter æternitatem & tempus, plus tamen ad hoc, quam ad illam accedit: unde sicut sublunaria mensurantur mensurâ prorsus mutabili, quae dicitur tempus, sic Angeli mensurantur mensurâ partim immutabili partim mutabili, quae dicitur *ævum*: sicut item sublunaria tam in essendo quam operando mutabilia, cum tempore rerum edaci corrodi, juvenescere, ac senescere possint,

tam

tam in essendo quām operando admittunt successio-  
 nem ita Angelus solū in operando mutabilis succe-  
 sionem habet solū in operando. Quia autem operatio  
 Angelo semper coësistens non mutatur, ideo hæc  
 non potest Angelum mensurare, sed dicitur illi *coëva*;  
 illæ proinde solū operationes existentiam Angeli  
 mensurant, quæ desinere possunt, sibiique invicem  
 succedere, quales sunt *operationes liberae*, quæ tunc so-  
 lū *instantia Angelica* multiplicant, quando sibi non  
 coësistunt, sed una alteri succedit, quia tunc solū  
 faciunt *numerum motū* secundū prius & posterius;  
 quando autem simul stant, etsi una alteram causet,  
 ut cognitio ad volendum dirigens, & ipsa volitio,  
 vel intentio finis & electio mediorum, idem instans  
 efficiunt, neque enim *ordo causalitatis* necessariò trahit  
*ordinem durationis*, sed possunt causa & effectus stare  
 in eodem instanti reali. Porrò sicut Physici tempus  
 statuunt aliud *commune* nempe motum primi mobilis,  
 aliud *particulare*, sic ævum Angelicum statui posset  
 aliud *commune*, aliud *particulare*. *Commune* posset  
 esse operatio libera Angeli supremi, maximè si aliquis  
 physicè supremus daretur, vel certè prima cujusque  
 Angeli operatio, quæ sit mensura cæterarum; *parti-  
 culare* verò possunt esse reliquæ operationes intrinse-  
 ca instantia Angelica facientes: quia autem Angelus  
 ab omni operatione libera potest cessare, ideo tem-  
 pus Angelicum non necessariò est continuum, sed  
 esse potest non *continuum*, prout nempe motus Ange-  
 li quoad operationes continuus est vel successivus,  
 quia *continuitas temporis* est ex *continuitate motū*, in-  
 quid S. Thomas.

L. c.

THE-

## THESIS XIX.

*Angelus potest corpora localiter mouere, eaque per aliquam unionem in ordine ad locum assumere, ita ut per corpus assumptum representetur.*

**P**RÆNOTO ex Thesi antecedente notum esse, quod LXXXIX.

Angelus uni loco affixus non sit, sed de uno in alterum se possit transferre, quam rem clare passim proponit scriptura. Rationem autem congruentiae eam afferunt nonnulli, quia quod est supremum in substantia corporea, hoc est infimum in incorporeis, nam juxta celebre D. Dyonisij effatum : *supremum infimi attingit infimum supremi*, *De Div. Nom. c. 7.* divina quippe sapientia conjungit fines primorum finibus secundorum, atque adeò in substantia incorporeis re ipsa datur id, quod est supremum in corporeis; atqui motus localis est supremus inter motus corporum, quia per hunc motum mobile est in potentia ad aliquid solum extrinsecum nempe ad locum, sicque supponit in mobili omnes perfectiones intrinsecas, secus ac motus alterationis, sicque motus iste *relatè ad suum principium* est perfectior motu alterationis, aliisque licet *relatè ad terminum*, cum nihil nisi locus *extrinsecus* per illum acquiratur, sit imperfectior: ex alia parte motus localis infimus est in substantia spirituali, quia est inferior motu intellectionis, volitionis, vel alterius, si detur, operacionis, motu enim lationis substantia è fertur, ubi consentanea bona acquirere vel mala fugere possit; intellectione autem res ad se trahit secundum veritatem, removet secundum falsitatem, volitione unitur bonis

bonis convenientibus, jîsque fruitur, mala autem fugit: ergò motus localis est in substantia incorporea, qualis est Angelus. Hæc ratio in Philosophia ubicationes intrinsecas respuente satîs congruens est, secus in statuente illas, unde valeat quantum potest. Rursum ex Thesi priore facilè elicetur, an & quî Angelus possit ab una extremitate transire ad aliam extremitatem ejusdem spatii adæquati, quin moveatur per medium? quæ quæstio plus negotii aliis facit, nam posse id naturaliter fieri per motum secundùm præsentiam *physicam*, secus metaphysicam & spiritualem considerato ibidem est dictum. Neque OBSTAT, quod PP. doceant Angelum etiam spiritualiter esse posse, ubi vult, sicut ferè nostra cogitatio, quæ potest cogitare *Galliam*, postea *Syriam* nihil cogitando de *Italia*, qua est media, & itâ non transeundo medium. Nam PP. aliud non volunt, quâm explicare Angelorum velocitatem motibus corporeis longè superiorem, & ideo paritatem de cogitatione omnimodam esse negat Diversus Thomas. In præsens jam quæritur primò: An sicut Angelus se ipsum, sic etiam alia à se distincta movere possit? Secundò: An corpus aliquod assumere, itâ, ut per illud appareat non apparitione pure imaginaria, quæ fit per apprehensionem phantasticam vel per oculos præstigiis delusos, qualium frequens meminit Delrio in suis disquisitionum magicarum libris, sed ut verè appareat, & per corpus assumptum & à se motum tanquam illius motor repræsentetur? nam de assumptione minus propria, quæ fit absque repræsentatione naturæ Angelicæ, ut fieri consuevit in corpore energumeni, item de assumptione physice & intrinsecè perfectiva, qualiter VERBUM

Q. 53. a.  
2. ad 2.

BUM assumpsit humanitatem, non est hic dicendi locus. Itaque de solo primo assumptionis modo dubium est, quod dirimit thesis, cuius

PROBATUR prima pars tum ex scriptura, nam de LXC. *Habacuc narrat Daniel, quod apprehendit eum Angelus Dan. 14. Domini in vertice ejus, & portavit eum capillō capitī sui. Matth. 4. Christum Diabolus statuit super pinnaculum templi. Dæ-Luc. 8. mones porcos impetu præcipitārunt in stagnum.* Tum quia ex libris de mundo & cælo constat, Angelos esse motores cælorum. Tum quia non minoris sunt virtutis, quam viventia sublunaria, quæ pollent vi corpora movendi. Tum quia Angelii operantur, jam autem Angelus non absque motu operatur tam locali *Serm. 78. in Cant.* quam temporali inquit Bern. Denique pro motu locali prolata in prænot: congruentia huc applicari potest, tantumque hic, quantum ibi valere. Neque Dicas primò: corpus nequit moveare Angelum: ergo neque Angelus corpus. Respondeo nego conseq. quia & Angelus & virtus loco motiva Angelica est perfectior corpore & virtute ejus motiva, quod autem est perfectius, potest prævalere contra imperfectius, sed non è converso. Neque Dicas secundò: unus Angelus non potest loco moveare alterum Angelum: ergo neque corpus. Respondeo primò: stante etiam veritate anteced. conseq. fore nullam, quia licet Angelus movendus non posset recipere impulsū, posset tamen corpus ob impenetrabilitatem suam recipere impulsū materialem ab Angelo productum, & ita moveri. Respondeo tamen secundò: nego anteced. RATIO negandi est, tum quia motus ab extrinseco, sicut non destruit rationem corporis, sic non destruit rationem spiritū. Tum quia licet in terminis repug-

net quantitas spiritualis ( eò quòd quantitatis essentia sit ponere in actu primo partes extra partes , quibus tamen spiritus caret ) non repugnat tamen impulsus spiritualis , nam ex eo maximè capite repugnaret istius modi impulsus , quia Angelus cum illo penetraretur ; hæc autem ratio nullam fert repugnantiam , anima enim etiam penetrata cum corpore potest movere corpus , item Angelus potest penetrare corpus , & tamen motu lationis corpus movere : ergo potest etiam movere alterum Angelum , sive jam moveat illum producto impulsu & impetuosa qualitate sive Angelo mobili se aggregativè uniendo , quo utroque modo anima movere solet corpus . Tum denique , quia Angelus potest movere animam : ergo potest etiam movere Angelum . Antec. inde tenet , quia dæmones animas damnatorum in tartara præcipitant , Angeli sancti animas justorum in cælos portant , ut docet Doctor Mellifl. super illa verba : *in manibus portabunt te ita loquens : viâ finitâ , quod est utique vita finita , in manibus tollunt , quam in rem adducit visionem S. P. Benedicti , qui ut in ejus vita scribit M. Gregorius : dum intentam oculorum aciem in splendor coruscæ lucis habere videretur , vidit Germani animam Capuani Episcopi in sphæra ignea ab Angelis in calum deferri . Quamvis autem verum videatur , quòd unus Angelus alterum , qui parium est virium , non possit movere invitum , potest tamen vel fortior minus fortem , vel certè duo unum violenter de loco movere .*

Serm. 13.  
in Ps. qui  
habitat.

LXCI.

OBIICIES : Si in Angelo datur vis naturalis movendi corpora , jam poterunt concutere terras , subruere domos , segetes destruere , incendere sylvas , mergere navigia , propellere in terras maria , homines

nes suffocare, & ità efficere, ut totum genus huma-  
num vel brevì intereat vel miserrimè in vita habeat;  
atqui ista non possunt, alioquin haberent vim, ordi-  
nem à divina providentia constitutum penitus inver-  
tendi: ergò non habent vim naturalem corpora mo-  
vendi. Respondeo nego seq. maj. quia non habent  
vim ità movendi corpora, ut susque deque omnia  
vertere queant, & passim impedire motus corporum  
connaturales etiam necessarios ad conservationem  
universi, cùm enim sint pars universi ordinata ad  
conservationem totius, non accipiunt à DEO virtu-  
tem destruendi totum. Hinc ad illum motum vel  
quietem localem corpus ab Angelo determinari po-  
test, qui conservationi universi non præjudicat, qua-  
les sunt illi, quos corpus disjunctivè seu vagè & in-  
determinate exigit, quin, cùm corpus *electivum* non  
sit, petit ad hunc motum præ illo ex duobus vagè  
exactis ab extrinsecò determinari, à nullo autem con-  
naturaliùs, quàm ab Angelis, cùm ipsi unversim sint  
administratorii spiritus, doceatqué Dyonisius *inferiora*<sup>3. Trin. 4.</sup>  
*administrari per superiora*. Et August. omnia *corpora regi*<sup>4. Dial. 4.</sup>  
*per spiritum vitæ rationalem*. Et Greg. *in hoc mundo visibili*  
*nihil nisi per creaturam invisibilem disponi posse*. Unde ta-  
met si quodvis corpus habeat inditum sibi principium  
sufficiens & determinatum respectu motū generalis  
determinate sibi debiti, ut est v. g. motus generationis,  
non habet tamen in se principium determinatum re-  
spectu motū cuiuscunque localis etiam indetermina-  
tē sibi competentis: ad hujusmodi itaque potest &  
petit ab alio determinari. Quamvis autem verum  
præterea sit, quod Angeli nonnunquam mouere cor-  
pora possint *contra determinatam corporum exigentiam*

ut gravia attollere, levia deprimere, motum debitum accelerare, cùm hujusmodi & homines possint, & Angelos talia fecisse memorent scripturæ priore numerō prolatæ, constéque experientiâ, quòd dæmones quandóque sagas transferant, cogant nubes, cieant tempestates, ut apud Delrio videri potest; quamvis inquam similia Angeli nonnunquam possint; verissimum nihilominus etiam est, quòd passim & frequenter ac pro libitu non possint contra motus naturaliter & determinatè à naturis particularibus exactos operari, quia hoc cederet in grave præjudicium universi & ordinem à DEO constitutum subverteret, ut benè animadvertisit in objectione, sive jam isthac impotentia proveniat à prohibitione divina & negatione concursūs, ut volunt quidam, sive habeatur ex ipsa rei natura eò, quòd nulli causæ creatæ debitæ sint vires & concursus ad ista passim & cum jactura universalis ordinis facienda, ut alii putant. Certum est ad illa *specialem DEI permissionem requiri*, ut constat ex libro Job, ubi Diabolus ad virum DEI per subversionem domûs, cædem prolium, plagas corporis affigendum DEI permissionem sollicitabat.

C. 1. 2.

LXCI.

Luc. 22.

PROBATUR etiam secunda pars Thesis : quia defatò taliter assumpserunt corpora, ità, ut in ijs apparuerint & per ea repræsentarentur : ergò id facere possunt. Antec. habetur in Script. sic dæmon Evæ apparuit sub specie serpentis, Abrahamo, Jacobo, Tobiæ Angeli specie humana apparuerunt, & Christo *Angelus de cælo confortans eum*, Petro vincèto, qui eum de carcere educeret &c., non fuisse verò similes apparitiones imaginarias sed veras & reales, inde evincitur, quòd non uni duntaxat, sed omnibus id loci

Ioci præsentibus conspicui fuerint, & reales atque corporales exercuerint operationes, ut legere est in libro Tobiæ & aliâs. *Visi sunt Patribus*, inquit Bern., *& ad eos intraverunt & manducaverunt & pedes laverunt.* Serm. 5.  
in Cant.

RATIO autem est, quia cùm Angeli vim habeant localiter corpora movendi & per ea id operandi, quod motu locali effici potest, potuerunt assumere corpus ad directionem aliorum, quibus præsunt, corporum servitum, utque nonnunquam aliquod assumerent, decuit, quia hòc modò hominem, respectu cuius præcipuè sunt administratorii spiritus, non interno duntaxat, sed etiam externo solatio quandóque recreare poterant: ergò re ipsa nonnunquam corpus assumperant. *Quonam enim modo implet ministerium suum absque corpore præsertim apud viventes in corpore?* ait Mellifl. Doct.; propria autem, & quæ ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, corpora Angeli non habent, ut ostensum est suprà Thesi secunda, quamvis dubia mens ea super re Bernardo hæserit: ergò corpora, verbis utor Mellifl. P., cùm opus est, sumunt, rursumque expleto opere ponunt, in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda. Materia autem illa ordinariè videtur esse aér, quia & facile quamlibet figuram suscipit, rursumque evanescit, securus ac terra, nec calore ut ignis, nec frigore, ut aqua offendit, & præterea simplici naturæ, ut est Angelica, magis congruere videtur corpus simplex & elementare quam mixtum. Cæterùm Angeli corpus assumptum non possunt vivificare, neque per illud actiones in substantia vitales exercere, quales sunt, cùm ipse terminus est vitalis, ut visio, auditio, quamvis possint eas imitari & eas per corpus etiam exercere, quarum Ib.  
*solus*

*solutus modus & actio est intrinsecè vitalis, terminus autem merè denominativè, ut est locutio per collisionem aëris facta, generatio, quæ fit traductione feminis ab uno corpore in aliud &c. Neque verò tali corporum assumptione mentiuntur, quia non petunt existimari esse corpus, sed volunt solum ad modum corporis apparere, qualiter nobis familiare est insensibilia ad modum sensibilium concipere.* DICES : si Angelus potest imitari nostros actus, jam nequit discerni ab homine ; discerni autem posse debet, alioquin inefficax fuisse Christi ad Discipulos argumentum : *palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

*Luc. 24.* Respondeo : posse discerni non obiter quidem, sed ab accurate inspiciente, & de inspectione accurata Christus loquebatur, quia nequeunt totum temperamentum in corpus non vivens ita traducere, ut studiosius consideranti non pateat non esse vivens. Quid, quod boni se ipsos tandem prodant, mali verò ex circumstantiis & mali finis intentione deprehendi possint ?

LXCIIL QUÆRES : Quid præterea possint aut non possint Angeli vi motûs localis ? Respondeo primò : quamvis non ex ratione quidem evidenti, ex communi tamen Doctorum consensu non possint immediatè producere formas materiales, possunt tamen alias miras effectus ponere applicando activa passivis, quia tunc non ipsi sed causa ab ipsis applicata & talis effectus naturaliter productiva, etsi nobis saepe occulta effetuum illum ponit. Taliter defactò malefici Pharaonis serpentes, ranas &c. produxerunt, nempe dæmones eos vel aliunde afferente vel præstigiis oculos deludente, quod Diabolo solenne est facere, ut dum ad incan-

incantationes magorum sylvam obiicit pro exercitu, animalia pro lapidibus, vel sagarum sensibus & imaginationi sic illudit, ut se translatas putent, et si domi hæreant, quamvis non eam inficias, quandoque eas re ipsa transferri. Taliter etiam ingruente universalis orbis ruinâ Anti-Christus & asseclæ dabunt signa Matth. 24. & prodigia magna, ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, quia homines viso effectu & causâ per Diabolum occultatâ non deprehensâ stupore veluti attoniti demirabuntur insoliti eventûs novitatem. Respondeo secundò non possunt tamen Angeli corpora & formas materiales generare generatione propria viventium immediatè se ipsis, quia hoc est proprium viventium corporeorum, qualia tamen Angeli non sunt. Respondeo tertio. Multò verò minus possunt vera miracula patrare v. g. mortuos suscitare, et si fingere possint esse suscitatos, non possunt facere, ut Virgo sine suscepto virili semine concipiat & pariat &c.; quia miracula eò ipso ac miracula sint, transcendunt virtutem naturalem cuiuscunque naturæ purè creatæ. DICES: Samuelem mulier pythonem habens suscitavit utique ope dæmonis, fuisse autem verè suscitatum patet ex ipsis ad Saul verbis: *quare inquietasti me, ut suscitarer?* Et ex illo Eccl. de 1. Reg. 28. Samuele: post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ sue, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis. Respondeo: Si Samuel verè & realiter est suscitatus, à DEO suscitatum fuisse in poenam pessimi consilii à Saule suscepti de consulenda pythonissa; vel certè Samuel fuit tantum apparenter per phantasma & illusionem imaginariam suscitatus, Samuelis tamen nomine scripturam

L. 2. ad Simplic. q.<sup>3.</sup> ram uti, quia *imagines rerum solent eorum nominibus appellari*, quorum *imagines sunt*; atque utrumque hoc cum ratione addita tradit D. August. Quid, quod licet *Angeli ministerialiter concurrere possint* v. g. colligendo particulas cadaveris ad effectum resurrectionis a DEO faciendum, non deceat tamen DEUM, ut Diabolo hosti suo infensissimo vim miracula patrandi communicet? Sicut licet Rex permettere possit rebellis subditos ab hostibus suis affligi, non decet tamen Regem permettere, ut circa characteres & sigillum Regis decipi possint ita, ut nulla circumspetione litteras suppositicias a veris discernere queant, alioquin enim aegre ferre non posset, si veris suis litteris fidem non haberent; miracula autem sunt quasi *sigillum & character DEI loquentis*: ergo non deceat DEUM, ut potestatem hanc Diabolo ea abusuro credat.

## THEISIS XX.

*Homo sexto conditi mundi die de limo terrae formatus est, in paradyso voluptatis positus, gratia sanctificante & variis prerogativis decoratus, sed per peccatum, internum nempe superbiae, & externum inobedientiae rursus iisdem est spoliatus.*

LXIV. PRÆNOTO, quod sicut *verus* mundus & *vera* in eo res sunt conditæ, ita veris sex & distinctis diebus sit creatus, cum nulla necessitas cogat scripturam de sex diebus loquentem ad sensum metaphoricum detorquere; quamvis vero sol quarto primum die

die sit creatus, potuerunt tamen præcedere veri tres dies constituti per *vespere & manè*, qui quidem dies non erant *formaliter* partes temporis *extrinseci nostratis*, quod per motum solis regulatur, sed erant partes temporis *intrinseci* constituti per successivas indivisibles productiones, vel aliud hujusmodi; & *equivalenter ac virtualiter* erant partes temporis nostratis, quatenus nempe quodlibet illud vespere & manè æquivalebat uni diurnæ solis circumvolutioni; à vespere cœpit mundi creatio, priùs enim *tenebrae erant super faciem abyssi*, postea verò *facta est lux*, nempe in cælo empyreo, de quo dicitur: *claritas DEI illuminavit eam*, sicque ante solis creationem lux cæli empyrei superveniens tenebris illud *manè diei* fecerat, & ideo etiam Judæi jubebantur à vespere computare diem: à *vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbathum Lev. 23. vesptra*. DICES: Scriptura dicit: *qui vivit in aeternum, creavit omnia simul*: ergò non sex diebus successivis. Respondeo creâsse illum omnia simul simultate rerum creatarum, quatenus nullus effectus ( secus defectus ut est peccatum ) existit in rerum natura, qui ab ipso non sit; secus simultate temporis, vel ut habet Divus Thomas: *omnia simul, quantum ad rerum substantiam quod-dammodo informem, sed quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem & ornatum, non omnia simul.* S. qui-alibi. 4. Sup. Gen. c. 8. ad Lit. &

dem August. putavit sex illos dies metaphoricos tantum fuisse, & singulos dies singulas significare Angelicas cognitiones; primum diem cognitionem primi operis, secundum cognitionem secundi operis &c. eo quod, quidquid DEUS produxit, menti Angelicæ impresserit, & præterea lux, quæ propriè dies dicitur, in spiritualibus magis reperiatur; alij tamen

PP. & DD. passim hic à S. August. discedunt, ut & ipse Divus Thomas, qui tametsi S. Doctoris sententiam explicare & cum communi combinare connatur, ipse tamen veros dies supponere videtur, cùm enim scriptura dicat dies secundus, dies tertius &c.

*Q. 74. 4. 2. C.* subsumit dicens : *secundum & tertium dici non potest, ubi est unum tantum : ergo non fuit unus dies tantum.* Non uno itaque sed sex diebus cælum & terram & omnia, quæ in eis sunt, condidit DEUS, & eo quidem ordine, quem Moyses posuit in Genesi, ita ut primo mox die divideret lucem à tenebris, id est : produceret, & per empyreum lucem productam spargeret, atque ita tenebras præcedentes dissiparet & destrueret, quo sensu alias dicimus amantem posse *in sensu diviso* odise, in quantum positō odiō destruit amorem. Quoniam verò nobilissimum ex recensitis ibidem operibus est homo, de solo hoc nobis hic sermo erit.

Quare

*LXCV.* PROBATUR & explicatur thesis per partes. *Primo* itaque *sesto* die ad imaginem & similitudinem DEI *C. 1. & 2.* & de limo terræ (ut fortè dotem immortalitatis, quam adepturus erat, gratiæ sciret esse donum non naturæ dotem) esse formatum docet liber Genesis, quod intelligitur quantum ad corpus, quia quantum ad animam est simpliciter ex nihilo productus seu propriè creatus, ipso instanti formationis corporis, non prius, si enim anima prius extitisset, meriti jam & demeriti capax fuisset, & alterum horum positura erat, sicque verum non foret, quod Apostolus dicit: *2. Cor. 5.* ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit (nempe in corpore non extra illud) sive bonum sive malum. Secundò fuit homo in paradyso positus, ut operaretur illum

illum agriculturâ deliciosa non laboriosa ex August., non fuit in eo creatus, quia *tulit Dominus DEUS ho-*<sup>8. de Gen.</sup> *minem & posuit eum in paradiſo*, ex quo Divus Thomas <sup>ad Lit. c. 10.</sup> infert hominem extra paradisum creatum fuisse, *ut Gen. 2.* *hoc, inquit, gratia DEI imputaretur non humanae naturae*, <sup>Q. 102. a.</sup> mulierem autem ait in paradiſo quidem factam non <sup>4.</sup> *Ib. ad 3.* ob dignitatem suam, sed propter dignitatem principii, ex quo *corpus ejus formabatur*, qualiter etiam filii nascituri erant in paradiſo, quia parentes ibi erant. Mulier porrò facta est in adjutorium viro, non quidem aliquius operis, ad hoc enim juvari posset per alium virum, sed *in adjutorium generationis*, ut habet Divus <sup>Q. 92. a.</sup> Thomas, S. item August. inquit: *non video ad quid* <sup>1. Q.</sup> *aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi causa sub-* <sup>9. de Gen.</sup> *trahatur*. Valde autem congruenter Mulier ex costa viri est ædificata, ut hōc pactō indicaretur virum inter & mulierem socialem debere esse conjunctionem; *Neque enim mulier debet dominari in virum, & ideo non est formata de capite: neque debet à viro despici tanquam servi-liter subjecta, & ideo non est formata de pedibus*, ut pul-chrè observat D. Thomas. Verum nihilominus etiam est, quod mulier etiam in statu innocentiae virò fuissest subordinata & inferior, tum quia Apostolus dicit: *caput autem mulieris vir & item: non enim vir* <sup>1. Cor. 11.</sup> *( primus ) ex muliere est, sed mulier ex viro, idque ante commissum peccatum, quia addit: non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*. Quod verò mulieri post peccatum demum dicatur: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; injungitur ipsi severior aliqua subjectio non obstante, quod propter appetitus inordinationem, quam in pænam peccati quisque habet, ægrè sit latura imperia viri, cùm tamen

ante peccatum longè dulciorē habitura fuisset subjectionem, qualem v. g. habet Discipulus ad Magistrum, Filius ad Patrem, vel qualem JESUS habuit, de quo scribitur: *erat subditus illis*, vel qualem MARIA etsi à peccato originali immunis ad Josephum, per quem à D E O præcepta accepit fugiendi in

*Lac. 2.* *Math. 2.* Ægyptum, indéque redeundi &c.

**LXCVI.** Ex quo ulterius deducere est in statu innocentia unos homines aliis futuros fuisse subjectos, sic filii jure naturæ subjici debebant Parentibus, Discipuli Magistris. RATIO autem est tum quia verosimilimum est aliquos fuisse peccatores, cùm illa duo individua, quæ sola fuerunt in mundo, & quidem si nè carnis rebellione sint lapsa in peccatum, & Angeli ipsi corruerint in cælo: ergò verosimillimum est magna hominum multitudine liberò arbitriò pollentium aliquos fuisse lapsuros; hos autem oportuit subjici severa etiam & stricta servitute innocentibus, à quibus gubernarentur, quorumque timore à solvenda penitus disciplina coercentur. Tum quia inter ipsos innocentes alii aliis esent sapientiores, alii aliis meliores, penè quos jure reipublicæ humanae gubernacula starent, ad socialem vitam melius instituendam. Tum quia ob judiciorum & voluntatum differentias in diversas abiretur opiniones & confusio pareretur, nisi aliquæ essent potestates supremæ, per quas dubia & controversiæ dirimeren-

*Lac. 4.4.* tur. Tum denique, quia *inter Angelos quidam aliis dominantur*, unde & unus ordo dominationum vocatur: ergo non est contra statum innocentiae, quod homo homini dominaretur, ut rectè arguit D. Angelicus, quia conditio hominum in statu innocentiae non erat dignior conditione

tione Angelorum. DICES : DEUS homini non dixit : dominare homini, sed dominamini piscibus maris & vo- Gen. 1.  
*latilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram, quibus verbis hoc addit August. rationalem fa-* L. 19. civ.  
*ctum ad imaginem suam noluit, nisi irrationabilibus domina-* C. 15.  
*ri : non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi justi, pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt. Sanctus Bernardus autem inquit : omnes homines* Ser. 23. in  
*naturâ æquales genuit, at quoniam bono naturæ in moribus superbiâ depravato facti sunt homines æqualitatis impatientes*  
*--- jugô discipline insolentia morum domanda est. Ob*  
*quam ipsam causam præmiserat, quod homo debeat discere primò subesse, secundò coësse, tertio præesse,*  
*seu primò esse inferior & discipulus. Secundò par &*  
*socius. Tertio Superior & Magister : ergo ante peccatum homo non fuisset homini dominatus. Respondeo dist. cons. non fuisset dominatus homini jure proprietatis & dominio opposito strictæ servituti, qua unus alteri imperat in proprium & suum commodum conc. jure jurisdictionis & dominiō opposito subjectioni dulciori, quali filius subjicitur Patri nego conseq. Est ipsissima solutio Divi Thomæ q. paulò antè citata, explicat etiam se ipsum August, de qua specie dominationis loquatur, dum antequam nuper citata verba proferat, dicit : non enim justi dominandi cupiditate imperant, sed officiō consulendi, nec principiandi superbiâ, sed providendi misericordiâ. Eodem modo loqui censendus est etiam Bernardus ob rationes datas.*

TERTIO fuit homo creatus in gratia & variis præ- LXCVII.  
*rogativis decoratus. De gratia quidem constat ex*  
*Trid. & D. Thoma suprà relatis num. LXV., nam de-*

deducit id D. Thomas ex restitudine primi statūs, in quo DEUS hominem posuit, quia fecit hominem rem, ut ait Ecclesiasticus. De prærogativis verò aliis res non est multūm ambigua, omnes enim fatentur ex parte animæ intellectum fulsisse scientiis naturalibūs, quæ caput & principem generis humani decebant, ipsique necessariæ erant ad alios instruendos & rite dirigendos. Voluntas libera erat à passionibus illis, quæ respiciunt malum, ut est timor, dolor, vel quæ respiciunt bonum non habitum & nunc habendum, ut cupiditas astuans, quamvis passiones, quæ sunt boni præsen-

*Q. 95. A. 2.* tis, ut gaudium & amor, vel boni futuri suo tempore habendi, ut est desiderium & spes non affligens, quemadmodum explanat rem istam D. Thomas, omnino fuerint in Adamo præprimis verò voluntas immunis erat à concupiscentiæ motibus rationem prævertentibus,

*Gal. 5.* quibus caro concupiscit adversus spiritum, quia licet confess. s. c. 5. cupiscentia peccatum non sit, ut definit Trident.

*ex peccato tamen est & ad peccatum inclinat*, quæ proinde ante peccatum in voluntate locum habere non potest, nè pæna culpam præcedat. Econtra variis virtutibus voluntas eminebat, pudicitiâ, temperantiâ &c., ut

*L. 6. A. 3.* docet D. Thomas ex August. probatque ex restitudine primi statūs, in quo ratio erat subiecta DEO, inferiores autem vires rationi, verumque adhuc tunc erat,

*Ser. 2. in Septuag.* quod scribit Bernardus: *in libertate posuit eum dominus, ut inter summa & infima versans & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descendret.* Quamvis, ut paulò post notat, *non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est, sic enim & ab infinito visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur.* Ex parte corporis non paucis item dotibus ho-

mō innocens præditus erat, nam expers erat omnis miseriæ, ægritudinis, indigentia, laborum molestiæ, nihil inquit D. Mellifluus, molestia, nihil indigentia sen-  
tiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus; dolor est referre, quod idem sub-  
jungit: mutavit istam gloriam DEI in similitudinem vituli comedentis fænum. Corpus ipsum gerebat immortale, non quidem debitò nature, cùm pugnantes inter se qualitates, quibūs corpus refertum est, potius naturaliter exigant ipsius corruptionem, ad eāmque disponant, sed privilegiò gratiæ hoc immortalitatis donum est consecutus juxta id: *DEUS creavit hominem* Sap. 2.  
*inextirpabilem*, solumque invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum, ut ibidem habetur, quia nempe Diaboli invidiâ factum est, quod per unum hominem Rom. 5. peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, juxta quod DEUS comminatus erat: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

QUARTÒ fuit homo hîs prærogativis per peccatum spoliatus, ut planè ad vivum exprimit parabola Luc. 10. illa de homine incidente in latrones, despoliato, & plagis impositis semivivô relictô, & proprio quisque experimentò demonstratum id nobis, non scimus solum, sed sentimus, experimur enim intellectum percussum esse plagâ ignorantia, & laborare oblivione circa præterita, inconsiderantiâ circa præsentia, imprudentiâ circa futura. Voluntatem plagâ malitia, qua bona vera fugeret, falsa sectaretur; partem concupisibilem plagâ concupiscentia in vetitas voluptates contra rationis imperium trahentis, irascibilem plagâ debilitatis ardua virtutum opera aspernantis. His si mors

mors, accenseatur, quam per peccatum in mundum intrasse paulò antè-diximus, jam omnia opposita re-censitis paulò antè prærogativis inveniemus: per mortem autem intelligitur tam mors prima, quæ animam invitam avellit à corpore, quam secunda, quæ animam invitam detinet in corpore ad sempiternum supplicium. His omnibus miseriis statim quidem à commisso peccato obnoxii facti sunt primi parentes, mox enim audiverunt: *multiplicabo ærumnas tuas - in dolore paries filios.* In sudore vultūs tui vescēris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es. Pleraque tamen tum demum sustinuerunt, cùm emisit eum Dominus **DEUS** de Paradiso voluptatis. Dico plerasque, quia fomitem peccati seu concupiscentiam, erubescientiam de nuditate, servitutem sub libidine & nasci hinc solitam à DEO elongationem statim senserunt, hinc illa Adami ad DEUM vox. *Vocem tuam audiri in Paradiso, & timui eò, quòd nudus essem & abscondi me;* hæc nimirum specialis inobedientiæ est pæna, quòd caro spiritui rebellis sit, & intestinum bellum contra rationem perpetuò moveat, ut docet S. August. in-

**In Ps. 143.** quiens: *qui sibi subiici vult, quod inferius est, se subiicit superiori suo,* Et item: *qui non obtemperas domino, torqueris à servo, hoc est à carne.* Consonat Doctor

**Ser. 66. de Mellifluus** ità loquens: *hoc peccato facta est caro rebellis Diversis.* spiritui, ut quoniam spiritus non fuit subjectus creatori, nec caro sit subjecta spiritui, loquitur autem de inobedientia. Doctor Angelicus idem ferè repetit ex August.

**Q. 95. a. i.** dicens: *de corporum suorum nuditate confusi sunt, senserunt enim motum inobedientis carnis suæ tanquam reciprocā panam inobedientiæ suæ:* atque hinc à contrario, qui ho-

honore castitatis cupit esse insignis, omni obedientia subdat se superiori suo.

QUOD AUTEM peccatum internum & origo cæterorum fuerit superbia. RATIO est, tum quia *initium Eccl. 10.*  
*omnis peccati est superbia*: ergo & peccati Adamitici. Tum quia illa serpentis ad Evam promissio: *eritis sicut Dij*, innuere sati videtur in nostris parentibus inordinatum aliquem latuisse excellentiæ appetitum; nisi enim Eva magis eminere voluisset, utique serpenti non credidisset promittenti hanc cum DEO similitudinem esu vetiti fructus consequendam; quia autem suggestionem audivit, promissionem animo volvit, sibiisque in ea complacuit, atque rem promissam *eritis sicut Dij* appetiit, credidit suggestioni, & fructum comedit, atque *virum quoque secum traxit inculpam*, inquit Bernardus. Objectum porrò superbiæ primorum parentum ultimò intentum fuit propria excellentia, ut patet, quia superbia est inordinatus hujus excellentiæ appetitus; hinc August. docet primos homines deiiciendos non fuisse, *nisi plus quam facti fuerant, esse voluissent*. Et aliás ait: *quod acceperant In Ps. 118. amitterent, dum id, quod non acceperant, usurpare voluerunt*. Objectum autem proximum & immediatum illius superbiæ erat scientia, sicque peccârunt nimis affectando scientiam, *eritis sicut Dij scientes bonum & malum*. Unde Bernardus de Angelo & homine loquens ait: *ambo iniquitatem meditati sunt, ille potentia, Ser. 69. in iste scientia*. Et alibi ipse vel quisquis alias inquit: *cæpit eum tædere bonorum suorum à concupiscentia sciendi bonum & malum*. Et rursus: *cæpit vagari - per montes L. de fuga altitudinis, per valles curiositatis*. RATIO autem esse potest. *filii prodigi parab. prima,*

test. Tria sunt divina attributa, in quibus similitudinem cum DEO appetere poterant seu esse, *sicut Dij*, videlicet: *Bonitas, potentia, sapientia*; jam autem in bonitate sat̄ similes erant, quia justitiā originali illustres; sat etiam similes in potentia, quia in omnia viventia dominium habebant: *dominamini piscibus &c.* Scientiam tamen saltem experimentalem, qua bonum & malum experimentaliter discernerent, non habebant, sed paulatim conquirere debebant, ad hanc ergo inordinate aspirarunt, & per pomi prohibiti esum consequi saltem Eva sperabat; vel etiam volebant inter bonum & malum discernere propria virtute, ut tenere videtur August. ubi ait: *ab homine peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione DEI, quando illud admissum est, in quo, n̄e admittetur, sola deberet iussio dominantis attendi.*

C.

*Quod demum actus externus peccaminosus seu esus fructus vetiti, à quo pendebat infectio generis humani, & non ab illo peccato præcisè interno, quod inquam hic actus, tametsi variis malitiis scaturerit ut rebellionis, ingratitudinis, gulæ &c. præcipue fuerit inobedientiæ actus: RATIO est, quia Script. & PP. specialiter invehuntur in inobedientiæ peccatum; sic DEUS ad Adam: quia audisti vocem*

*Uxorius tuae & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, n̄e comederes &c. ubi arguitur, quod audiverit, id est:*

*66. de Di- verfis. obediverit plus voci Uxorius quam Conditoris, justum autem erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat, quis vero ambigat plus eum debere conditori quām uxori?*

*Rom. 5. inquit D. Mellifluus: alibi Scriptura dicit: sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt mul-*

ti.

ti. Patres verò, ut videre est ex num. antepenulti-  
mo inobedientiae pænam esse dicunt, quòd caro non  
sit subiecta spiritui: ergò supponunt illud peccatum  
fuisse inobedientiam, quæ, inquit Bernardus, de in-  
obedientia facta in Paradiso tractans, valuit non solum *De præc.*  
*obligare personam, sed & vitiare naturam,* quam quidem *& dispens.*  
*c. 11.* gravissimam fuisse ibidem docet ex *rebellione defensionis,*  
quando DEO causam peccati requirente maluerunt  
declinare cor suum in verba malitiæ ad excusandas  
excusationes in peccatis, ubi dupliciter ait peccâsse  
Adamum, primò, quòd sui misertus non est, ut cul-  
pam fateretur & sanaretur, deinde, quod & uxo-  
rem, ut se fallaciter excusaret, crudeliter accusavit,  
quod alibi eidem exprobrat S. Pater sic eum allo-  
quens: *Scimus O Adam! quia os de ossibus tuis, & caro Ser. I. in  
de carne tua, & ejus amore peccâsti! & mox: pænam per um San-  
ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusâsti.* Ve-  
rum nihilominus est, quòd Heva ad hæc ipsa pec-  
cata à Diabolo sit inducta, qui occasione arboris  
scientiæ boni & mali usus, ei persuasit, ut crederet  
se morte non morituram: *nequaquam morte moriemini,* Gen. 3.  
sed esu pomi etiam scientiam boni & mali & ita  
quandam cum DEO similitudinem adepturam: *eritis*  
*sicut Dij scientes bonum & malum,* Adam verò blanditiis  
uxoris cessit, non quòd crederet esu pomi tantum  
bonum, quale à serpente promissum est, se obtentu-  
rum, sed peccavit nimis diligendo uxorem, non quia ejus *de Di-*  
*voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinae,* ùt *versis.*  
Iloquitur Mellifluus, cui præiverat August. inquiens:  
*noluit Adam Eam contristare, non quidem carnis victus* 2. *de Gen.*  
*concupiscentiâ, quam nondum in membris suis senserat, sed* *ad lit. 42.*

amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur DEUS, nè homo ex amico fiat inimicus. Quia autem Adam non à Diabolo sed ab Heva in ruinam tractus est, nec promissioni credidisse videatur, ideo Apo-  
*1. Tim. 2.* stolus dicit : *Adam non est seductus, mulier autem seducta*  
*In festo An- in prævaricatione fuit.* Et Bernardus : facile seducta est  
*dreæ ferm. mulier, & promissioni credere & acquiescere persuasiōni, vis*  
*autem seductus non est, sed subversus mulieris amore.* Ne  
 itaque Posteri pari cum Protoparente fato incauti in-  
 volvamus à Paradiso cælesti, proprio Angelorum do-  
 micilio, æternūm arcendi, ad mulieris vocem plus  
 quam ad basilisci sibilum aures obturemus, DEI au-  
 tem vocem & vitae æternæ verba cum gudio susci-  
 pientes factis impleamus, ut ( quemadmodum D.  
*In Prol. S. nos Legislator Benedictus hortatur ) ad eum per obedi-*  
*Reg. entiae redeamus laborem, à quo per inobedientiae desidiam*  
*recesseramus, cui soli laus honor & gloria*  
*in saecula saeculorum.*

O.A.M.D.G.B.V.M.H.



# ELENCHUS THESIUM.

## De Natura, & Existentia Angelorum.

### THESIS I.

Angelos existere fide Divina novimus: ratione verò naturali tametsi prudenter tamen suadere, evidenter tamen nosse, & demonstrare nequimus. *fol. 1.*

### THESIS II.

Angeli non sunt spiritus corpore ætherei, sed sunt substantiae purè spirituales corporis omnis penitus expertes. *fol. 13.*

### De Simplicitate & Immortalitate Angelorum.

### THESIS III.

Angeli tanta Essentiæ simplicitate gaudent, ut non sit possibilis, qui componatur ex forma, & materia prima spirituali. *fol. 17.*

### THESIS IV.

Angeli sunt immortales, & incorruptibles, non per gratiam & ab extrinseco, sed per naturam, & ab intrinseco, sic ut non nisi per potentiam DEI extraordinariam, & contra naturalem suam exigentiam annihilari possint. *fol. 24.*

### De multitudine, ordine, & distincione Angelorum.

### THESIS V.

Maxima est Angelorum Spirituum multitudo, & tanta, ut penè innumeralibilis jure debeat censeri. *fol. 29.*

### THESIS VI.

Tota Angelorum Universitas in tres Hierarchias, & novem ordines seu choros est distributa. *fol. 36.*

### THESIS VII.

Probabile est, omnes Angelos ejusdem esse speciei, & solò inter se numerò distingui. *fol. 41.*

### De Intellectu Angelorum, & speciebus iisdem ad intelligendum necessariis.

### THESIS VIII.

Angeli ad cognoscenda objecta à se distincta defactò indigent speciebus, quarum plerasque DEUS ipsis infundit, & species quidem earum rerum, quas statim ac creantur, ab Angelis sciri decet, ipso mox instanti suæ creationis, *fol. 54.*

### THESIS IX.

Simpliciter repugnat produci speciem universalissimam omnium possibilium distinctè & clarè in actu primo representativam. *fol. 65.*

### THESIS X.

Angelus nequit naturaliter & citra revelationem, aut speciale illationem alieni cordis arcana altero invito cognoscere, idque provenit ex ipsa rei natura, & non præcise à decreto DEI libere impidente. *fol. 72.*

### THESIS XI.

Angeli circa ea, quæ evidenter, & naturaliter nōrunt, propriè non componunt, nec dividunt, neque formaliter discurrunt: circa ea autem, quæ inevidenter cognoscunt, vel probabili conjecturā conjiciunt, & formaliter discurrere possunt. *fol. 81.*

De

## *De Loquela Angelorum.*

### THEISIS XII.

Probabiliter opinamur Angelos, seu inter se, seu cum animabus separatis colloqui per intellectualem ordinacionem conceptuum, praesupposita, tanquam conditione ad libere, & voluntarie loquendum requisita, juris cessione, facta per voluntatem, vel nuda loquendi volitione. *fol. 88.*

### *De Voluntate, merito, & peccato eorum.*

### THEISIS XIII.

Angeli non modò contra supernaturalia DEI præcepta, verum etiam contra legem naturalem, si v. g. in statu puræ naturæ relicti fuissent, peccare potuerunt. *fol. 99.*

### THEISIS XIV.

Angeli non habent voluntatem naturā suā, seu physicē, & ab intrinseco inflexibilem & immobilem, secundūm speciem circa actus liberos, sed possunt propositum suum mutare, & electionem plena etiam & perfecta deliberatione factam retractare. *fol. 105.*

### THEISIS XV.

Angeli defactō primo creationis instanti bene, & meritorie operati sunt, physicē nihilominus possibile erat, ut eodem, quo creati sunt, instanti peccarent. *fol. 115.*

### THEISIS XVI.

Occasio ruinæ Luciferi, & Angelorum Apostatarum fuit Unio hypostatica Verbi cum Natura humana: peccatum

verō proprium, & characteristicum eorum erat superbia pro objecto intermedio respiciens dictam Unionem; pro ultimato autem, & principaliter intento propriam excellentiā, *fol. 126.*

### *De Pœna prævaricantium.*

### THEISIS XVII.

Dæmones cruciantur in inferno variis modis à vero & reali igne, ita ut materialis ignis tanquam instrumentum à DEO obedientialiter elevatum physique in ipsis producat qualitatem spiritualem doloriferam, eorumque afflictivam. *fol. 137.*

### *De loco, & motu Angelorum.*

### THEISIS XVIII.

Probabiliter sustineri potest Angelum esse physicē in loco per operationem ad extra circa corpora, vel per passionem: Metaphysicē autem est in loco per præsentiam spiritualem, seu indistinctiam ab illo. *fol. 151.*


### THEISIS XIX.

Angelus potest corpora localiter movere, eaque per aliquam unionem in ordine ad locum assumere, ita ut per corpus assumptum repræsentetur. *fol. 161.*

### *De primo Homine.*

### THEISIS XX.

Homo sexto conditi mundi die de limo terræ formatus est, in paradiſo voluntatis positus, gratia sanctificante, & variis prærogativis decoratus, sed per peccatum, internum nempe superbia, & externum inobedientiæ rursus ipsisdem est spoliatus. *fol. 170.*





colorchecker CLASSIC



x-rite

mm